



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Tractatus I. De Vitiis & Peccatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

TRACTATUS I.

De Vitiis & Peccatis.

PRÆMITTO 1. Quod scholasticè loquendo, non pro eodem sumantur vitium & peccatum. Vitium enim solet accipi, pro solo habitu malo, peccatum autem pro malo actu. Istius acceptio- nis est hoc inter alia fundamentum; quia etiam in aliis materiis vitium supponit pro habitu: & ita dicitur vitium equi, si frequenter cespitet, si autem hoc illi semel non nisi acciderit, non dicitur quod habeat tale vitium. Eadem acceptio habet in Aristotele fundamentum, qui lib. 7. Eth. cap. 8. distinguit inter pravum & vitiosum, & inter incontinentem. *Pravitas*, inquit, ex morbis, aqua intercuti, & tibi; *incontinentia* vitiis perquam similis est: illa enim continua, hæc non continua improbitas est, atque omnino diversum est incontinentia, & vitii genus. Ubi Arist. arreptitio comitali morbo, comparat incontinentem, pravum autem comparat hydro- piti & tibi constanter manenti. Unde inferius dicit: *Incontinentia non est vitium*; adducitq; dictum Demodoci de Milesiis, qui dicebat, Milesii sanè, non sunt quidem imprudentes, sed ea tamen agunt, quæ imprudentes solent. Sic *incontinentes*, inquit Aristot. licet iniusti non sunt (supple habitu) *injuste tamen agunt*. Pergit in suo discursu Arist. qui sic proponi potest. Sicut in aliis, ita & in actionibus datur suum principium, quod principium non aliud est, nisi intentio huius, seu id cuius causa res est. Hoc principium corrumpit pravitas, inquit ille, conservat virtus. Hoc autem ipsum corruptum principium dupliciter accipi potest. Inprimis enim aliqui ita malè operantur, ut tamen salvum sit illis principium operandi, ne scilicet errent in ipsis dictaminibus honesti, sed superentur non nisi affectu, ut committant prava, salvo & integro rectæ rationis dictamine, & qua, si nondum mota mente. Alii autem ita malè operantur, ut ipsum in illis principium recti dictaminis corrumpatur, qui scilicet voluptates esse sibi effulsectandas persuasum habent. Ex his, priores illi appellantur ab Aristotele *incontinentes*, hoc est peccantes actu: posteriores appellantur *intemperantes*, & absolute pravi, ubi absolute pravum cum vitioso confundit, definitq; illud per hoc, quod effuse h. e. perpetuò, & ut plurimum sectetur malum. Est quidam, inquit Aristot. qui ex affectu è recta ratione exturbatur, quem sanè supe-

rat affectus, ut ex recta ratione minime agat, non tamen ita superat, ut talis evadat.

Ubi ut vides Aristoteles vitiosum seu pravum accipit pro constanter malo, incontinentem autem & peccantem, pro eo qui hic & nunc deficit.

PRÆMITTO 2. *Vitium & peccatum habet in super* (missis aliis minutioribus) *hanc significationem*, quod vitium supponat pro culpa philosophica, peccatum autem pro culpa Theologica. Hæc explicatio invaluit apud Recentior. ut apud Lugo, Hurt: Ovie & alios. Culpa philosophica, vel ut vocant peccatum philosophicum, supponit pro præcisa dissonantia actionis ad naturam intellectualem quæ talem. Culpa autem Theologica seu culpa sine addito, supponit pro oppositione etiam ad Deum. Et jam in hoc sensu vitium philosophicum accipitur pro actu: quia habitus non dicuntur vitium morale. Unde etiam in primò conversis, stant ordinariè habitus pravi, quos tamen pro illo statu nemo dicit vitiosos moraliter. Sed habitus sunt non nisi vitium causaliter: quia causant actus vitiosos.

Hæc distinctio culpæ Philosophicæ & Theologicæ habet fundamentum in discursu S. Th. hic q. 71. ar. 6. in Corpore. *Peccatum nihil aliud est, quam actus humanus malus, quod autem aliquis actus sit humanus, habet ex hoc quod sit voluntarius, ut autem actus humanus sit malus habet ex eo, quod careat debita commensuratione: omnis autem commensuratio uniuscuiusque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam; à quasi diver- tat, incommensurata erit. Regula autem voluntatis humana est duplex: una propinqua & homogenea, scilicet ipsa humana ratio; Alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna qua est quasi ratio Dei.* Hinc peccatum per S. Thom. quod stat præcise in discommensuratione ad regulam homogeneam, est peccatum philosophicum: quod non commenturatur primæ regulæ est peccatum Theologicum. Quia autem in Theologia primarium locum obtinet peccatum Theologicum, hinc

PRÆMITTO 3. *Varia descriptiones peccati Theologici*, quarum plures collegit Ovie. hic Cont. 2. n. 2. Talis est illa Aug. lib. 22. contra Faustum: *Dictum, fictum, vel concupitum contra legem eternam.* Hæc definitio non est in rigore dialectico: quia procedit per disjunctionem,

est tamen apta ad aliquam notificationem. Sed nomine concupiti non venit objectum, sed ipse actus concupiscentiæ. Sub particula autem *ly contra legem*, significatur quod debeat esse actio libera. Qui admitteret omissionem liberam, cum illa, neque sit dictum, neque factum, neque concupitum, diceret non convenire descriptionem dictam omni peccato; sed non nisi commissionis peccatis.

ALIA definitio est tradita ab eodem Aug. lib. 2. de Consens. Evang. cap. 4. *Peccatum est Legis transgressio*, & lib. de duab. Anim. contra Max. c. 11. *Peccatum, inquit, est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat, unde liberum est abstinere*. Ubi etiam nomine iustitiæ legem intelligit. Hæc etiam definitio non est exacta: supponit enim aliquid controversum: quasi independentem ab omni lege non possit esse peccatum. Deinde non ostendit ultimam rationem peccati, quia quærere restat cur trans-

gredi legem est malum. Rursum idem Aug. lib. 1. ad Simplic. q. 2. *Peccatum sic definitur, Peccatum est inordinatio, atque perversitas, hoc est, à præstantiore conditōre aversio, ad conditū inferiora conversio*, quod iteratō docet Aug. lib. de libero Arbit. c. 16. Unde facta vulgaris illa definitio peccati, quod sit *voluntaria aversio à Creatore, & conversio ad creaturam*. Hæc etiam descriptio non satisfacit: quia non convenit omni peccato: Certè enim etiam veniale est suo modo peccatum, & non est aversio à Deo. Commodius itaque peccatum secundum ultimam suam moralitatem objectivam definitur per hoc, quod sit dissonantia moralis ad naturam intellectualem, quæ definitio, & in materia de Pœnitentiæ objecto, & in materia de moralitate objectiva actuum humanorum est defensa. Sed restat discurre quid sit peccatum secundum formalitatem suam proximam, & immediatam, quod ut fiat. Sit.

DISPUTATIO I.

De Vitio & Peccato ut sic.

Res Rationes universalissimas peccati concipere possumus. I. Rationem peccati ut sic communem ad peccatum Theologicum & Philosophicum. II. Rationem universalem peccati Theologici. III. Rationem universalem peccati Philosophici, quæ licet amplior sit præ peccato Theologico, priorem tamen locum dabit Theologico, utpotè magis proprio huic loco.

QUÆSTIO I.

Quomodo sit explicandum Peccatum ut sic?

EXPLICAT I. Antonius Perez in suis M. S. cap. 1. Quod peccatum actuale sit actus liber malus. Quod de ratione peccati sit libertas, rationem dat, quia actus peccati imputatur peccanti, tanquam actu hic & nunc debenti non peccare, dum suadet illi ratio recta oppositum, tanquam melius & debitum fieri; non est autem recta ratio quæ disuadet id, quod nullo modo vitare possumus: & sic recta ratio, inquit ille, verulæ non suadet juventutem. Ex quo colligit Aug. lib. de Gratia, & lib. Arbitr. dari in nobis liberum arbitrium: quia peccatum nobis disuadet & prohibet Scriptura. Quod autem de ratione peccati sit esse actum, sive sit possibilis pura omissio, sive non, inde probat, quia actus defectivus & perfectivus, conveniunt in genere actus, non quidem propter entitativam unitatem utriusque actus, sed propter unitatem ejusdem subiecti, & principii liberi: hæc enim unitas sufficit, ut possint

confundi in eadem cognitione, & constituere genus, non quidem univocum sed analogum, Analogia habitudinis ad unum. Quod autem de ratione peccati sit, ut sit malum, rationem dat, quia nomine mali venit formalitas odio digna, & potens adferre dolorem, jam autem omne peccatum, est objectum pœnitendi. Hæc explicatio.

NON SATISFACIT I. In quantum dicit, etiam posito quod possibilis sit pura omissio libera, peccatum ut sic, posse definiri quod sit actus malus. Ratio, quia de quo verificatur negatio actus de illo non potest verificari esse actus: esse enim & non esse contradictoria sunt: de ommissione autem verificatur negatio actus; hoc enim definitivè est omissio. Concedo quidem actum defectivum, qualis est peccaminosæ omissionis, & actum virtutis perfectivum convenire in eodem genere actus. Sed nego quod omissio sit actus defectivus: est enim simpliciter non actus. Quod autem dicitur habere omissionem unitatem subiecti & principii cum actu, id benè concedimus; consequenter dicimus, quod subiectum & principium possit descriptionem communem commissioni & omissioni intrare: Sed nego, quod cum communis non sit utriusque ratio actus, possit nihilominus intrare definitionem communem utriusque. Sic v.g. in definitione tenebrarum & lucis, potest intrare tanquam subiectum aer: vel tanquam principium, sol; cum istis tamen omnibus tenebræ & lux, non possunt convenire in ratione qualitatis, ita & in præfenti commissio & ommissio, non convenient in ratione actus.

Quod

Quod si dicas posse actum latius sumi, ut sit quid commune etiam non entibus sicut sumitur & ipsum Ens. Contra erit, quia non retinebis jam responsionem, quæ recurrit ad unitatem subiecti. Deinde: quia in definitionibus ponendum est genus proximum si fieri possit, & non ita latum.

NON SATISFACIT 2. Quia immerito explicat malum, tanquam per primum conceptum, quod sit dignum odio, cum detur prior formalitas, quærereque restat, quare hoc sit dignum odio?

NON SATISFACIT 3. Quia potest aliquis actus esse liber & malus, & non esse peccatum conscientiosum, de quo hic, & ita si dicen non appetitis chordis si consules ludat, facit actum malum liberè, non tamen peccat conscientiosè.

EXPLICATUR 2. COMMUNITER. Quod vitium morale consistat proximè in hoc, quod sit commissio aut omissio libera creaturæ rationalis disconveniens conscientia rectæ practicæ operanti. Hæc etiam Explicatio.

NON SATISFACIT TUM QUIA. Quantum fieri potest conceptus non sunt tradendi per divisionem, & sic malè quis definiret animal quod sit id, quod est brutum vel homo: quamvis enim in re non reperiatur ratio animalis in aliquo alio præter hominem & brutum; quia tamen hic non quæritur de speciebus huius generis, sed de definitione, non rectè illam tradet dicta numeratio. Tum quia. Aliud est per omnes definire, aliud dividere, quæ duo confundit prædicta explicatio. Nam definitionem ponit per divisionem. Tum quia, si quis agat cum conscientia erronea non deposita, non agat cum conscientia recta & tamen peccabit. Ergo peccare non rectè definitur per agere contra conscientiam rectam. Neque valet, si dicas per accidens id evenire: Nam hoc quidem per accidens evenit, ut conscientia erronea dicat; non enim ad illam spectat dicere, sed supposito quod dicat, & non obediatur illi, committeretur non per accidens, sed per se, peccatum; ad eum modum quo per accidens est, quod peccatum veniale transeat in mortale; Nihilominus: Si id accidat, non per accidens habetur peccatum mortale; definitioque mortalis etiam ad talia peccata se extendere debet. Ergo & definitio peccati ut sic debet per se extendi etiam ad peccata, quæ sunt ex erronea Conscientia non deposita, cum tamen erronea Conscientia, non sit conscientia recta, & si recurras ad explicandum Ly rectum, jam tuam debebis corrigere definitionem.

EXPLICATUR 3. Quod peccatum ut sic sit. *Defectus ratione dissonantie ad conscientia practicum dictamen.* Ponitur Ly defectus loco generis: qui tam ad actum Commissionis, quam omissionis puræ peccaminosæ extendi potest. Ponitur potius Ly *dissonans*, quam Ly, *Commissus*,

ne omissio pura si sit possibilis, etiam vi vocis extrudatur à definitione peccati. Debet autem esse defectus contra *Conscientia dictamen*, quia hic quærimus de malitiæ proxima ratione, quæ non habetur aliunde nisi ab oppositione contra Conscientiam. Debet autem hoc dictamen esse *practicum*: Nam licet nomen ipsum Conscientiæ propter condistinguitur synderesi, practicum quid notet, quia tamen non pauci sentiunt, speculationem & praxim non semper concordare, & aliqua speculative esse bona, mala practice; ideo additum est, quod peccatum debeat esse contra Conscientiæ practicum dictamen, licet sine hoc addito, possit defendi prædicta definitio.

PROBATUR Bonitas Explicationis. Quia convenit omni, soli, & semper, peccato, proceditque per prima in hoc genere. Sed hæc omnia est necesse aliquo discursu illustrare. Quod ut fiat.

PRÆMITTO I. *Inter methodos res explicandi est tradere illorum notitiam per prædictam oppositæ declarationem*; & ita tenebras per lucem, morbum per sanitatem explicamus. Cujus etiam Ratio est, quia contrariorum, ut inquirunt, eadem est ratio. Et quia explicatio non tantum ponit quid sit res, sed & quid non sit, hinc si à contrario incipiat rei explicatio, innotescet jam quid non sit, posteaque procedetur ad id, quod est. Porro oppositum peccato virtus est, quæ ipsa virtus tria habet per S. Thomam hic qu. 71. art. 1. in Corpore. Primum quod importet dispositionem quandam alicujus convenienter se habentis secundum modum suæ naturæ, & ita equos virtuosos appellamus, quibus nihil deest ut obeant officium suæ naturæ ad usus humanos ordinatum. E contra vitiosas appellamus arbores, cariosas, non dispositas ad fructum ferendum, vel ferendum convenientem. Hoc verò ipsum quod est convenienter aliquid se habere secundum modum suæ naturæ, dupliciter adhuc accipi potest; vel enim nomine naturæ venit, ipsamet illa virtus, quæ etiam habet suam naturam; & secundum hoc deposcit conjunctionem prædicatorum conformiter ad objecti exigentiam inter se connexorum, & ita si ponatur actus & differentia illius propensio & objectum bonum, erit actus virtuosus: quia convenienter se habens secundum modum naturæ amoris qui debetur non nisi bono. Rursus nomine naturæ venire potest non ipsamet illa virtus, sed subiectum, cujus illa est virtus, & ita fecunditas in arbore est virtus, quæ convenit naturæ arboris, & ita etiam illa operatio vel habitus, erit virtus, quæ convenit naturæ rationali, ponens in illa dispositionem, per quam convenienter se habeat natura intellectualis secundum modum suæ naturæ.

2. In omni virtute reperitur ratio boni, quæ formalitas posterior est. Nam ex convenientia

(A) 4 tia

tia habendi se secundum modum suæ naturæ, resultat formalitas bonitatis, sicut ex ente pululat attributum bonitatis.

3. Formalitas in virtute pro habitu accepta, est, quod sit principium actus ordinati & debiti, quæ formaliter posterior adhuc est bonitate, eod quod bonitas videatur esse prædicatum absolutum: ratio principii, relativa; relativa autem posteriora sunt absolutis. Virtus autem pro actu sumpta, non est jam principium actus ordinati, sed ipsemet actus ordinatus.

Hæc omnia ad præsens sic applicantur. Primæ formalitati virtutis quæ est habere se convenienter, opponit vitium defectum habendi se convenienter; Unde etiam docet Aug. lib. 3. de Lib. Arbit. c. 14. *Quod perfectioni, inquit, naturæ deesse perspexeris, voca vitium.* Ubi vitium definitur per deesse, vel per defectum perfectionis. Secundæ formalitati virtutis hoc est bonitati opponit vitium malitiam. Tertiæ autem opponit quod sit principium actus inordinati, vel quod sit actus inordinatus.

PRÆMITTO 2. *Quid sit vitium habere defectum, seu non esse dispositum, secundum quod convenit naturæ.* Sicut primò essentialis conceptus per nos ut dictum est in 1. P. de primò essentiali conceptu De non stat in sola differentia completè, ita per omnes Philosophos neque natura rei stat in sola forma, licet forma habeat rationem potissimam. Unde etiam appellatur antonomastice, quidditas rei: Cujus rationem assignat S. Thom. hic a. 2. in corpore, *quia forma est secundum quam res speciem sortitur: Homo autem [pergit S. Th.] in specie constituitur per animam rationalem, & ideo id quod est contra ordinem rationis propriæ, est contra naturam hominis in quantum homo est: Unde virtus humana [concludit idem] quæ hominem facit bonum, & opus ipsius bonum reddit, in quantum est secundum naturam hominis, in quantum convenit rationi: Vitium autem in quantum est contra naturam hominis, in quantum est contra ordinem rationis.*

PRÆMITTO 3. *Quis sit iste Ordo rationis?* Ordo rationis duplex cogitari potest. Primus Ordo objectivus & ultimus, stans in consonantia, vel dissonantia ad naturam intellectualem. Alius Ordo est actualis, stans in intimatione consonantiæ vel dissonantiæ: & sic omne peccatum est contra ordinationem actualem ipsiusmet rationis, quæ ipsa intimatio est formalissimè Conscientia, quam Orig. apud S. Thom. vocat: *Spiritum correctorem Pedagogum animæ sociatum &c.* his præmissis.

FORMATUR jam Discursus, explicando. *Quod scilicet peccatum sit defectus importans dissonantiam ad Conscientiæ practicum dictamen.* Peccatum seu Vitium pro actu acceptum dicit oppositionem ad virtutem, & quidem ad primam formalitatem illius, quæ est, quod sit dispositio alicujus convenienter se habentis secundum

modum naturæ rationalis, consequenter peccatum, erit contra hunc modum convenienter se habendi naturæ rationalis, ut dictum est præmissis. 1. In hocque stabit illius defectibilitas. Porro natura rationalis, stat primo formalitate rationalis, hinc agere contra naturam rationalem, erit deficere ab ordine ejusdem ut dictum est præmissis. 2. Quia verò hic ordo potest esse & objectivus, ultimus, & proximus, qui fit per Conscientiam distantem, peccatum & vitium utrumque hoc habebit, consequenter erit contra Conscientiam. *Hoc ipsum aliter proponitur.*

Contrariorum eadem est ratio, & quia virtus & vitium contraria sunt, eodem modo se habebunt. Jam autem virtus habet & formalitatem convenienter se habentis secundum modum suæ naturæ, habet formalitatem bonæ, habet formalitatem principii ordinati ad actus bonos. Sic & vitium habebit formalitatem adum malorum seu inordinatorum, vel formaliter erit actus inordinatus ut dixi præmissis. 1. Tunc autem aliquid habet rationem deficientis in ordine convenienter se habendi, quando est contra naturam, quæ est in homine rationalis ut dictum præmissis. 2. Quia verò ipse ordo naturæ rationalis sumi potest, & pro ipsa natura, & pro dictamine illius ut dictum præmissis. 3. peccatum erit defectus, & contra naturam rationalem, de quo alibi dictum, & contra dictamen illius practicum; de quo hic & nunc agitur.

DICES 1. Non poni in definitione peccati ut sic, quod sit liberum, & tamen requiritur hoc ad peccatum; & quamvis poneretur, non posset salvari, quomodo peccatum originale sit vetè peccatum, cum non sit nobis liberum.

RESPONDETUR. Liberum implicite poni & revocabiter in prædicta definitione, non enim esset defectus contra dictamen &c. si non esset liber, revocatur ergo libertas ad defectus contra dictamen, sicut risibile revocatur ad rationale. Originale autem est quidem nobis sed non in nobis, sed in capite liberum. De quo alias.

DICES 2. Peccatum omne debet esse malum, quomodo autem est malum, si sint multa quæ voluptatem adferunt, immò peccato potest conjungi infusio gratiæ sanctificantis, ut si minister illicitè, validè tamen conferat Sacramentum. Deinde (ut etiam imaginatur Perez) accidere posse videtur, ut sicuti Deus instituit Sacramentum collativum gratiæ, ita institueret collativum unionis hypostaticæ, quo casu plus lucri foret in administratione talis Sacramenti illicita, quam damni in administratione peccaminosa; alioqui merita Christi & dignitas non præponderarent peccato: qui ergo tunc peccatum esset malum.

RESPONDETUR. Nullam voluptatem hic & nunc consonam naturæ intellectuali reperiri in actione peccaminosa, quæ sufficienter fundat mali-

malitiam peccati. Deinde aliud est quærere an ex suppositione peccati, possit procedere bonum superans excessu malitiam peccati præsuppositi, & aliud est quærere an peccatum in se sit malum & damnificativum. Prima propositio est vera, posterior autem falsa. Falsum enim est, peccatum in se spectatum non esse damnificativum.

DICES 3. Datur conscientia errans, quæ potest ex objecto bonum repræsentare in malum, eritque tunc actio peccaminosa. Ergo peccatum non est malum, nisi ex opinione.

RESP. Veram esse hanc propositionem, peccatum non esse malum, nisi prout repræsentatur sub ratione mali. Ratio, quia cum peccatum sit actus voluntatis, taliter fertur in objectum, qualiter illi repræsentatur. Hinc si repræsentatur bonum cæteroqui sub ratione mali in malum feretur: inde tamen non sequitur non esse peccatum nisi ex opinione malum: nam quod non sit licitum velle bonum, si repræsentatur sub ratione mali, non est opinio sed veritas. Talis enim convincitur esse affectus malo, adeoque peccans: immò ex hoc deducitur, quod peccatum sit contra conscientiam, quia trahitur ad rationem mali actus versans circa bonum, si dictamen oppositum intimet.

QUESTIO II.

De peccato Theologico ut sic.

DEFINITIVè peccatum Theologicum est defectus ratione disconvenientiæ ad conscientiam prædictam Deum respiciens. Sub hoc titulo de peccato Theologico, maxime attendetur ad speciem ejus præcipuam, nempe mortale, de quo ipso in præsentem disputabimus, an sit infinitum simpliciter in ratione offensæ, præsensque tractatio erit, minor argumenti in materia de Incarnatione tractabilis, nempe hujus: Pro offensâ infinita non potest satisfacere satisfaciens finitus. Et hæc major spectat & ad Ethicam, & ad Materiam de Incarnatione. Sed peccatum mortale est infinita offensâ; hæc minor spectat ad præsentem annum. Quod etiam nobiscum facit Oviedo tract. 4. de bonitate & malitia actuum contra 4. pun. fateturque Ariaga spectare id ad materiam de peccatis. Vide eundem disput. 3. de Incarnat. in Prologo. sit.

DIFFICULTAS I.

An peccatum Theologicum in ratione offensæ sit infinitum simpliciter?

PECCATUM in ratione offensæ simpliciter infinitum tenent, Hurt. disp. 10. parag. 35. Kohn. de Sacramentis disp. 7. num. 21. & disp. 10. dub. 2. Lessius de perfectionibus Divinis lib. 10.

cap. 26. & 27. Rozmer pag. 622. favent & alii. Esse autem non nisi secundum quid infinitum docet Suarez. Lugo disp. 5. de Incarn. Assert. 3. Amicus Tomo 3. disp. 23. sect. 4. Et de Incarn. disp. 5. sec. 1. Aldrete de Incarn. disp. 4. sec. 2. Ovied. cit. Ariaga disp. 3. de Incarn. Martinus Perez de Incarnatione disp. 5. sec. 3.

DICENDUM est 1. *Sin nomine infiniti simpliciter accipias id, quod quoad omnia que in suo conceptu includit est infinitum, in isto sensu peccatum mortale in ratione offensæ non est infinitum simpliciter.*

PROBATUR 1. Quia peccatum importat etiam entitatem actus saltem in Commissionis peccato, hæc ipsa entitas non est infinita simpliciter. Ergo peccatum non secundum omnia quæ dicit in suo conceptu est infinitum simpliciter. Minor probatur. A potentia finita non potest produci effectus, in entitate infinitus, & si entitas actus boni est finita, non apparet quomodo entitas actus mali debeat infinitari.

PROBATUR 2. Quia peccatum secundum omnia quæ dicit, importat etiam advertentiam & voluntarium, sed hæc omnia sunt finita; quod probatur, quia experimur excellentiæ Divinæ nos habere valde limitatam cognitionem: eandem excellentiam magis apprehendunt docti quàm rudes, & inter doctos unus magis præ alio. Deinde illa advertentia, & esset infinita, ut supponitur, & non esset, quia posset in illa magis, & magis procedi. Quod ipsum probatur, quotiescunque intelligibilitas objecti superat intellectivitatem potentiæ cujuslibet creatæ, toties in intelligibilitate illius objecti, potest magis & magis procedi à potentia creatâ, nondum enim terminos intelligibilitatis attingit: sed intelligibilitas excellentiæ Divinæ superat intellectivitatem potentiæ creatæ, esse enim intelligibile, sequitur ipsum modum essendi, sicut & verum objectivum. Cum ergo modus Divinus essendi superet modum essendi creatum, etiam intelligibilitas Divina superabit modum intellectivitatis creatæ, adeoque nunquam intellectivitas creatâ ponet actum infinitum, seu æqualem intelligibilitati Divinæ, nisi fortè sit vel comprehensiva, quæ creaturæ implicat, vel æqualis illi quam haberet creatura, si omnia possibilia Divinitus attingeret, sed cum tali notitia non posset peccare, sicut nec cum notitia, quæ est Visio Beata, non enim minùs perfectum, & amabilem præsentat Visio Deum, quam præsentaret infinita illius notitia. Si ergo Visio non potest esse antecedens peccatum, nec cum illa peccari potest, nec etiam peccari posset cum advertentia infinita.

PROBATUR 3. Auctoritate S. Thomæ, qui 3. Parte Q. 1. a. 2. ad 2. dicit: *Peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habere, ex infinitate Divinæ Majestatis. Ubi ly quandam explicari non potest, nisi dicatur non secundum*

cundum omnia, quæ dicit peccatum, esse illud infinitum.

DICENDUM 2. *Si per infinitum simpliciter intelligatur infinitum secundum rationem suam primariam formalem & distinctivam sui, in isto sensu peccatum mortale in ratione offensa esse infinitum simpliciter.*

PROBATUR 1. Offensa crescit secundum dignitatem personæ. Sed non crescit secundum proportionem geometricam: Ergo secundum proportionem arithmeticam: Ergo si offensus sit infinitus simpliciter, etiam offensa erit infinita simpliciter: hoc ipso enim non esset offensa crescens arithmetice, nec secundum proportionem unius ad unum, nec esset secundum æqualitatem, omnem inæqualitatem excludentem.

MAJOR prob. Tum quia. Est principium in moralibus, adeoque moraliter per se notum; hinc non indiget nisi sola apprehensione terminorum, & inductione, quæ stat pro Majori: gravior enim est offensa impingere colaphum Regi, quam plebejo. Tum quia. Quod semel est fundativum majoritatis offensæ, semper illam fundat: quia necessaria causa alicujus effectus semper illum causat, & forma semper, est forma formati. Sed excellentia aliquando fundat majoritatem offensæ, ut vulgò scitur: Ergo fundabit semper. Et sicut causa hæc formalis, quæ est albedo semper causat album; ita & excellentia semper suo modo causabit, hoc est attollet gravitatem offensæ. Tum quia. Ea quæ habent incrementum debent incrementi sui habere causam & medium: sed offensa habent incrementum; cujus incrementi non potest ostendi alia legitima radix nisi persona offensa. Tum quia, omnis defectus mensuratur per excessum: non enim per defectum: defectus enim ostendit excessum: non etiam defectus mensuratur per æquale: æquale enim non ostendit defectum, sed æqualitatem. Ergo defectum solus excessus mensurat. Et cum omnis offensa sit defectus contra excellentiam personæ, hunc certè defectum debet mensurare excellentia personæ. Tum quia, Formalia S. Th. sunt loco citato. *Tanto, inquit enim, offensa est gravior, quanto major est ille in quem delinquitur, & Arist. 5. Eth. c. 5. docet, medium justitiæ non esse semper repassionem: Nam si, inquit, qui Magistratum per alium percurrit, non est reperiendus; At si quis Magistratum percusserit, non solum reperiendus est, verum etiam supplicio afficiendus.*

Minor principalis Argumenti probatur. Nempe quod offensa non crescat secundum proportionem geometricam. Tum quia, non est ratio cur non magis & magis crescat offensa. Ita ut tantitas gravitatis commensuretur tantitati personæ: Si enim non habet sui determinativum, & procedet ulterius & non procedet, non procedet ut supponitur: procedet autem; quia non habet unde determinetur: hinc & est

infinitus Deus in sua perfectione; quia non habet determinativum sui in perfectione. Tum quia, si esset aliquod determinativum, ne crescat Arithmetice offensa esset advertentia, & voluntarium finitum. Sed hoc non est determinativum. Quod ipsum probatur. Posita in Humanitate Christi advertentia, & voluntario finito, non determinatur per hoc actio Christi ne excrecat ad infinitatem simpliciter in ratione dignæ, adeoque ne excrecat arithmetice in dignitate ad dignitatem suppositi operantis. Ergo neque finita advertentia & voluntarium determinabit offensam ne excrecat arithmetice ad dignitatem personæ offensæ. Concedo personam dignificare intrinsecè actiones, cum offensa, non nisi extrinsecè aggraventur: sed quære restat cur ut habeatur intrinseca dignitas in actionibus Christi Theandricis desumaturque ab infinita dignitate Personæ operantis, curinquam non officiat advertentia & voluntarium finitum, officiat autem quominus in peccatum derivetur gravitas extrinsecè infinitans offensam. Præcipue cum plura deberent requiri ad infinitatem intrinsecam, quam extrinsecam. Tum quia, quæcunque ratio ostendi potest quod se aliquid habeat, non nisi per modum applicantis, & prærequisiti, idem probabit etiam cognitionem in præsentia habere se non nisi per modum prærequisiti, adeoque non formans tantitatem offensæ. Tum quia, Si cognitio habet se per modum formantis offensam, ubicunque esset æqualis advertentia, esset æqualis offensa quod falsum est: Quod si dicas, & ex cognitione & ex persona coalescere dictam mensuram, restat explicandum cur in illo coalito non sufficiat advertentiam habere se per modum conditionis. Tum quia. Nunquam pro taxa tantitatis offensæ datur cognitio. Tum quia. Visio ipsa Beata non est beatitudo nostra objectiva, sed summum bonum, Visioque se habet non nisi per modum applicantis bonum increatum, quod solum beat: Ergo & in præsentia cognitio habebit se non nisi per modum applicantis; taxa autem gravitatis erit ipsa offensus infinitè dignus. Et certè crescere majoritatem offensæ secundum excellentiam offensus nihil aliud est quam poni offensam & simul esse personam, sic vel ita excellentem. Cum ergo hic ponatur persona infinitè excellens, & ipsa offensa erit infinita simpliciter.

PROBATUR 2. Peccatum per Oppositos est infinitum secundum quid: Ergo etiam est infinitum simpliciter. Tum quia. Infinitas secundum quid conveniens peccato, est talis, qualis non competit visioni videnti Deum infinitum, amoris amanti Deum infinitum neque enim hæc dicuntur infinita secundum quid in se, sed non nisi objectum quod attingunt infinitum: jam autem quamcunque peccato specialem infinitatem assignaveris, hoc ipso erit infi-

nita simpliciter; & si illam non assignaveris non erit infinitum secundum quid, quod est contra tua principia. Tum quia ad hoc ut dicatur aliquid infinitum, etiam secundum quid, non sufficit superare infinita inferiora, sed simul importare prædicatum, quod quæ tale ratione imperfectionis vel perfectionis dicat infinitatem; adeo ut si per impossibile non essent inferiora, quæ superare deberet, adhuc esset infinitum. Erat esset Deus infinitus simpliciter, quantumvis non essent creaturæ quæ superari deberent. Homo verò non est infinitus in essentia secundum quid, licet infinitas imperfectiores species superet. E. etiam ad hoc ut dicatur mortale esse infinitum secundum quid, non sufficit ut superet quascunque infinitas creaturarum offensas; sed debet habere aliquid in sua entitate, quod fundet ipsam infinitatem; hoc ipsum autem arguet infinitatem simpliciter. Tum quia. Veniale superat infinitas offensas creaturarum, actus supernaturalis omnes naturales, homo infinitas creaturas se viiores, & tamen ista ex eo præcisè non dicuntur infinita secundum quid. Ergo nec mortale ex eo erit infinitum secundum quid: quia superat omnes veniales offensas. Quodcumque autem dederis aliud fundamentum infinitatis secundum quid illud adstruet infinitatem simpliciter.

Neque ex eo arguetur infinitudo secundum quid in mortali, quia superat non solum offensas creaturarum, sed etiam offensas veniales omnes. Tum quia. Cur in genere venialis non fundatur infinitudo secundum quid quamvis superet creaturarum offensas, fundabitur autem infinitudo secundum quid in mortali, quia superat venialia. Et sicut veniale ex eo non potest dici infinitum secundum quid, quia superat omnes offensas creaturarum, ita neque potest dici mortale secundum quid infinitum, quia superat omnes offensas veniales: Ergo aliud infinitatis secundum quid, debes assignare fundamentum: hoc autem adstruet infinitatem simpliciter.

Neque ex eo salvabitur in mortali infinitudo secundum quid, quia entitate finita continet gravitatem aliarum offensarum. Ratio, quia neque homo dicitur infinitus secundum quid, quamvis finita entitate æqualeat infinitis substantiis imperfectioribus. Neque ex eo potest dici peccatum secundum quid infinitum: quia non continet unum gravitatem offensarum aliarum: Si enim per impossibile daretur linea infinita, non obesset ejus infinitudini præcisè, quod non contineret infinitam dimensionem in latum, nec infinito hominum tricubitalium officeret carentia hominum decemcubitalium: Ergo nec ex eo dicitur præcisè peccatum esse infinitum secundum quid, quia non continet in se reliquas offensas. An autem mortale unum ex eo, non debeat dici continere gravitatem offensarum aliarum divinarum, quia unum in ra-

tione offensæ est æquali pluribus, de hoc infra.

PROBATUR 3. Per principia negativa. Quia si nihil obest dicta PP. ut sonant accipi debent, sæpè autem PP. appellant peccatum infinitum sine addito. Ut Anselm. L. 4. Cur Deus homo, cap. 21. Bonav. in 3. dist. 20. q. 3. in 2. ratione. Richar. de S. Viç. L. de Incarn. Verbi cap. 8. & S. Th. qui licet in sensu primæ conclusionis tribuat peccato non nisi infinitatem secundum quid, tamen hic 1. 2. q. 87. ar. 4. in corpore sine diminvente particula sic habet. *Peccatum in quantum est aversio ab incommutabili bono infinito, est infinitum.* Similia habet in 4. d. 15. q. 1. art. c. 2. Immeritoque S. Th. requisivisset satisficientem infinitum simpliciter, si ipsum peccatum non esset infinitum simpliciter. Rursus si ponatur peccatum infinitum simpliciter in ratione offensæ attolleretur dignitas Dei; quia attolleretur jus ad non offendi, quod est bonum & perfectio naturæ rationalis; adeoque tribuendum Deo si apertè non implicet.

Quod autem ad denominationem infiniti simpliciter sufficiat habere infinitudinem in ratione formali primaria. Ratio est: quia à principali fit denominatio, & opera Christi dicuntur esse simpliciter infinita: quia in ratione sua principali & specificativa sunt infinita; homoque dicitur rationalis, quamvis corpus ejus non sit rationale.

DIFFICULTAS II.

Solutio Objectionum.

PLures reperiuntur Objectiones, revocabimus eas, quæ difficiliore sunt ad certas classes.

Punctum Difficultatis I.

Argumentum petiitum ex satisfactione Christi.

OBJICIT 1. Lugo. Peccata non solum sunt inæqualia in malitia morali, sed etiam in ratione offensæ. Quod sint inæqualia in ratione demeriti, & offensæ probat: quia si haberent peccata vim demerendi simpliciter infinitam, non esse vis major in operibus Christi ad merendum, quam in peccatis ad demerendum. Non etiam habent æqualitatem in ratione offensæ: quia plus Deus offenditur odio sui, quam furto: & in morali æstimatione, plus æstimatur una offensa præ alia. Hic idem medius terminus sic aliter proponitur. Si peccatum mortale in ratione offensæ esset infinitum simpliciter, tunc peccatum esset æquale meritis & satisfactioni Christi, quod esset contra PP. & Scripturam quæ appellat redemptionem nostram copiosam. Sequela probatur. Unum infinitum non est majus altero, sed peccatum est infinitum

sim-

simpliciter, & satisfactio est etiam infinita simpliciter. Ergo utrumque erit æquale.

RESPONDETUR. Merè ad medium terminum de satisfactione Christi. Nam de non inclusione in uno mortali aliarum offensarum infragetur. Retorquetur itaque in primis Argumentum, quod multum probat, quia probat actiones Christi non esse infinitas simpliciter, quia non sunt æquales actionibus immanentibus Divinis. Et certè infinitis simpliciter actionibus non potest dari majus: de fide autem est actiones Theandricas Christi non esse Deum, & de fide est actiones immanentes Dei esse Deum; & tamen id quod non est Deus, & id quod est Deus, non potest esse æquale. Deinde retorquetur Argumentum quod probat contra principia arguentis, peccatum non esse infinitum etiam secundum quid; quia infinitum simpliciter infinito secundum quid non est majus in ratione infiniti, sed tota differentia est in ratione actualis vel non actualis. Directè autem ad Argumentum dici potest esse peccatum æquale meritis Christi, hoc sensu quod non major sit dignitas in persona terminante, quàm in persona aggravante peccatū; sed non esse æquale quoad modum participandi infinitatem. Unde unum infinitum erit majus altero, non in forma infinitante, nec in ratione infiniti, sed in modo participandi eam infinitatem.

EXPLICATUR. DISTINCTIO. Una eademque infinitudo si utrobique reperitur non potest reddere magis unum infinitum, & aliud minus infinitum secundum formam infinitandi; & esset enim eadem Forma infinitandi, ut supponitur & non esset, quia non æqualem infinitudinem adferret. Ceterum in modo participandi eandem infinitudinem potest esse diversitas. Et ita quia actiones Divinæ immanentes participant infinitudinem per identitatē, qui perfectior modus est: cum tamen actiones Theandricæ participant infinitudinem, non nisi per unionem intrinsecam, principii dignificativi cum principio elicitivo sit ut ratione modi possit esse diversitas. Porro peccatum & satisfactio Christi, cum ab eodem principio dignitate nempe Divina infinitentur, in ratione principii illius æqualitatem habent, sed quia satisfactio Christi participat infinitatem perfectiori modo, nempe per unionem intrinsecam substantialem, annexentem substantialiter ipsummet Deum usque ad communicationem idiomatum. Jam autem persona infinita necitur cum peccato mortali non nisi per modum extrinseci, & per modum mensuræ ad mensurabile, qui modus imperfectior est: fit, ut quamvis satisfactio Christi & peccatum dicant æqualitatem in ratione principii infinitantis, dicant nihilominus inæqualitatem ratione modi participandi infinitudinem.

Sed quid affert diversitas illa modi parti-

pandi eandem infinitatem? Adfert ex dictis incommensurabilitatē unde etiam actiones Christi Theandricæ, non commensurantur actionibus quæ Deus sunt immanentibus, idque ob diversitatem modi participandi eandem infinitatem. Albedo item comparata ad parietem v.g. album, quia alio modo participat disgregativum visus nempe per identitatē, cum paries illud participet non nisi per inhaerentiam, ideo sunt incommensurabilia. Quorum omnium ulterior ratio est, quia cum omnia ista desumantur per ordinem ad formam, & unionem ad illam. Si modi ipsi participandi formam incommensurabiles sunt, adferent etiam incommensurabilitatem illis, quorum modi sunt. Cum ergo diverso modo participet Verbum eandem infinitudinem, & diverso modo peccatum, adhuc incommensurabilitatem habebunt, eo quod incommensurabilis sit modus participandi per unionem substantialem à modo participandi non nisi per extrinsecum.

Quod si quæras quare unum infinitum non possit esse majus altero infinito, possit tamē esse inæqualitas in modo participandi eandem infinitudinem. Ad id recurri poterit. In primis quia axioma nihil dicit de æqualitate in modo participandi infinitudinem, quod non possit esse major. Rursus quia hoc ipso ut dictum supra, non esset eadem infinitudo, si hoc quidē faceret majus quantum de se infinitum, & illud faceret, quantum de se, minus; quod absurdū non sequitur, si sit alietas orta ex alio & alio modo participandi eandem infinitatem. Denique cum modus participandi non sit unus, idque ejusdem infinitatis, cumque modus participandi hic possit esse finitus, poterit admittere majus & minus, secus infinitum.

INSTAT I. Lugo. Ex hoc ipso inferri peccatum non habere infinitatem, alioqui sicut opera Christi, quia habent infinitum valorem possunt condignè mereri quodlibet præmium excogitabile, adeoque etiam remissionem offensæ infinitæ. Ita & peccatum deberet mereri quamlibet pœnam etiam infinitam, adeoque & hanc, ut nulla pro illa satisfactio acceptetur ne quidem ipsius Christi.

RESPONDETUR. An peccatum sit infinitum in ratione demeriti pœnæ, de hoc alias. Offensa enim per se non tam pœnam, quàm compensabilitatem vel incompensabilitatē trahit: pœna autem malitiæ debetur. Ut autem non excludatur satisfactio Christi, sufficit dicere quod infinitudo peccati, excludat quamcunque satisfactionem, quam possibile est ut excludat; quæ scilicet sit inferior: non potest tamen excludere satisfactionem, quam impossibile est ut excludat, nempe altiorē, qualis est satisfactio Christi, quia hoc ipso ponderosior esset culpa ipsa; si quidem infinitudo culpæ præponderat

ret infinitati satisfactionis; & tamen utriusque eadem infinitudo. quia autem impossibile est, ut ipsa culpa sit ponderosior se ipsa, ita impossibile erit ut excludat satisfactionem Christi.

INSTAT 2. Idem. Offensa infinita in ratione offensæ, debet habere vim conservandi indignationem, positâ qualibet satisfactione, quod non habet mortale, non enim potest conservari indignatio Dei positâ satisfactione Christi.

RESPONDETUR. Offensam infinitam habere vim conservandi indignationem quâcunque satisfactione inæquali positâ. Secus si ponatur satisfactio altioris ordinis. sic v.g. Si aliquis debeat alicui infinitum imperiale, posito infinito alium, non satisfaciatur; secus posito infinito ungaricorum, quod altioris infinitudinis est in æstimatione morali. Sic quamvis infinitudo peccati subvertat infinitudinem satisfactionum ponendarum, e.g. à creatura finitâ, excedetur nihilominus à satisfactione altiori, quæ est ipsius meriti Dei.

INSTAT 3. P. Albertus Leronski, vir acris & acuti ingenii. Hæc responsio supponit falsum. Offensa siquidem & infinitudo ejus, non tam detumitur ab ipso Deo offenso, quàm à persona offendente infinitè vili, comparata cum ipso Deo offenso. Quod ipsum probatur. Si per impossibile esset alter Deus, & offenderet sibi similem & æqualem Deum, illa offensæ in ratione offensæ non esset infinita. Ulteriusque urget. Non magis intrinsecè persona infinitè vili concurrat ad infinitandam Dei infinitè digni offensam, quàm persona infinitè digna in Christo ad infinitandam satisfactionem. Ergo non magis erit offensæ in ratione offensæ infinita; quam satisfactio Christi pro offensæ.

RESPONDETUR. Pluribus viis. Si quis vellet docere ut docet arguens, quod persona humana comparata ad Deum non sit infinitè vili, dicit peccatum non esse æquè adhuc infinitum ac actiones Christi; quia non proficiscitur à persona infinitè vili, cum actiones Christi proficiscantur à persona infinitè dignâ: cum hoc tamen stat, quod sit peccatum infinitum simpliciter in ratione offensæ, quia sicut non officit actionibus Theandricis Christi, quod proficiscantur à natura humana Christi finita, eò quod ratio principalis dignificativa, quæ est persona verbi sit infinita: ita quamvis offensæ non proficiscatur à persona infinitè vili, sufficit quod in ratione principali offensæ, quæ desumitur ab offenso infinito, dicat infinitudinem. Deinde etiam posito, quod persona sit infinitè vili, necdum sequitur excludendam satisfactionem Christi: quia infinita illa vilitas erit adhuc inferioris ordinis præ infinitate divina: sicut infinitudo gratiæ si daretur, quia est infinitudo creata, non est infinitudo æquanda infinitudini satisfactionis Christi. Denique, nego offensam potius desumi, idque ut suppono, ultimè à per-

sona vili, sed desumitur ultimè à persona offensæ.

RATIO. Quod est mensura in aliquo genere, id non debet mensurari in eodem genere, & sic ulna objectiva non mensuratur ulnâ. Hinc si persona vilis in genere offensæ esset mensura offensæ, non deberet in hoc genere mensurari, defacto autem mensuratur: quia sumitur non aliter nisi per comparisonem ad personam respectu cuius est vilis. Et certè ratio vilis est ratio respectiva, nemo enim respectu sui, vilis est, sicut & nemo sui pater; in rationibus autem respectivis formalitas & principale penes terminum spectantur. Denique ad id præcipue attenditur in offensæ, quod est ultimum resolutorium taxandi offensam; hoc autem est persona offensæ. si autem quæram, quanta est hæc offensæ? Respondebis pro hac parte, quàm vilis persona offendens: restat quærere, quàm vilis persona offendens? & hic respondere debebis, per dignitatem offensi; Certè enim nemo vilitate offendentis mensurat dignitatem offensi, quasi à priori. Deinde signum est aliquid habere rationem prioris, si se habeat per modum causæ, ut inductio ostendit: vilitas autem non potest causare dignitatem, sed potius dignitas vilitatem, vel ex illo principio, quia causa si non sit nobilior, saltem debet, esse æqualis cum effectu.

Quod adfertur de altero Deo, vel Rege, alterum Deum, vel Regem offendente, non convincit. Quia cum unus Deus respectu alius Dei, non se habeat ut Deus, neque Dei datur Deus, & cum nomine Dei veniat Ens! absolutum non subiectum, subjiciens sibi reliqua; cum sibi non subiciat illum alterum Deum, nec respectu illius erit Deus; consequenter non aggravabit illam offensam persona Deitatis, aggravatura cæteroqui, si comparisonem ad illum Deum esset illi Deus: hinc respectu illius non habet rationem excellentioris: jam autem taxa tunc ponitur in persona, quando respectu illius habet se per modum excellentioris.

Unde in peccato distinguenda est formalitas actionis, & hæc desumitur à supposito: Actiones enim sunt suppositorum. hinc concedi potest peccatum illud in ratione actionis non esse infinitum simpliciter. Et alia est formalitas offensæ; quæ crescit ex excellentia offensi. Concedo quidem etiam à persona offendente desumi illam magnitudinem, sed non ultimò, resolutivè; in dignitatem offensi.

Sed eodem modo etiam persona creata semper aggravat suas offensas? Posset aliquis dicere, Eodem modo, mutatione positâ non nisi in ipsa malitia. Posset nihilominus dici, non eodem modo aggravari: Nam ex una parte, cum persona creata sit finita, potest admitti majus & minus. Ex altera parte, cum dignitas illa sit moralis stans in ipsa imputatione humana, pot-

(B)

na, pot-

na, potest eadem imputatio partiri gradus aggravationis.

RESTAT ultimò quærere. An persona sit infinitæ simpliciter vilitatis? Ratio dubitandi. Illud dicitur simpliciter tale, quod sine addito absolute est tale, & non per respectum ad aliud: & ita Deus est infinitæ simpliciter dignitatis, etiamsi nulla creatura esset possibilis finitæ dignitatis, cum qua Deus compararetur. E contra. Illud non est absolute & simpliciter tale, quod tantum per comparisonem ad aliud, est tale. Adde, negationes perfectionis, dignitatis, intensiōis infinitæ &c. non denominant in eo genere subiectum infinitum absolute & simpliciter, sed secundum quid, ut Petrus infinita carens gratiâ non debet dici infinite non gratus, & linea carens longitudine infinita, non dicitur infinitæ brevitatis absolute & simpliciter; alias non posset dari illâ brevior. Sic & homo non est absolute & simpliciter infinitæ imperfectiōis: quia alias nulla creatura posset esse homine imperfectior. Hinc non erit persona peccatoris nisi infinitæ secundum quid vilitatis, hoc est, quod dignitas peccatoris infinites superetur à dignitate Dei. Ceterum perfectio infinita facit absolute & simpliciter infinitum, perfectum; sicut longitudo infinita positiva, faceret infinitum longum.

Circa hanc quæstionem potest esse quæstio dere, & quæstio de voce. Attendendo ad quæstionem dere. Dicitur potest. Quod creatura sit infinite vilis simpliciter.

RATIO. Tum quia. Quid est vilitas infinita? Est id, quod exceditur infinites ab aliquo digno, neque enim respectiva illius vilitas aliter sub imaginationem cadere potest. Indubiè autem infinites à Deo exceditur creatura. Tum quia. Vel excedit magis Deus hominem, quam muscam, vel non excedit magis? Si non excedit magis. Ergo musca & homo æquantur in perfectione: nam eadem mensurâ mensuratur perfectio utriusque: si autem magis excedit, quæro, an utrumq; Deus excedat infinites simpliciter, vel non? Si non excedit utrumq; infinite simpliciter, Ergo comparative ad aliquid creatum non est Deus infinite dignus simpliciter: si autem utrumq; excedit infinite simpliciter: Ergo & unaquæq; creatura poterit esse infinite vilis, quamvis una sit vilior, alterâ, si inter se comparentur. Tum quia. esse infinitum in perfectione est carere terminis perfectionis. Ergo infinite esse vile, est non dicere illam carentiam terminorum perfectionis: Contrariorum enim est eadem ratio: indubiè autem creatura non dicit carentiam terminorum perfectionis. Addo, si ex consensu argumentis, creatura est infinite vilior Deo: Ergo etiam bene dici potest, quod sit infinite vilis respectu Dei: Nam omne comparativum præsupponit positi-

vum, nec potest dici calidior fornax, quam manus, si non est calida, præ manu.

Rationes in oppositum non convincunt. Nam in primis. Nego quod absolute & sine addito non possit dici tale, quod non nisi per respectum est tale. Nam semiulna est sine addito, & absolute, hoc est sine diminvente termino semiulna, quamvis non nisi comparative ad ulnam, sit semiulna: absolute aliquis dicitur filius, licet sit filius non nisi respectivè ad Patrem. Nego etiam quod non possit dari infinitudo respectiva. Quod attinet ad illud, Deum nempe fore infinite dignum, quamvis nulla foret creatura, id verum est; quia ly dignum non est ita prædicatum respectivum, sed non foret infinite excedens, quia non haberet quid excederet: ly autem excedens est prædicatum sicut & ly vile, respectivum. Deinde sine ulla etiam comparisonem esset creatura infinite vilis negativè. Denique quia non ideò aliquid est excellens, quia illud est vile; sed ideò est aliquid vile, quia illud excellens, sit, ut possit adhuc tota dignitas salvari sine respectu ad creaturas; cum tamen vilitas non nisi per comparisonem habeatur. Quod attinet ad illam propositionem de homine carente infinita gratia; an debeat dici infinite non gratus? dico illam dupliciter formari posse. In primis in sensu positivo, & sic falsa est, quia deberet homo continere omnes gradus ingrati: si enim vel uno careret, non posset de illo positivè affirmari: Nam affirmatio est bonum quoddam, quod debet esse ex integra causa: si autem sumatur negativè, vera est propositio; quia importat negationem infinitudinis gratiæ, quæ negatio verificatur, etiamsi aliquem gradum gratiæ habeat. Unde & linea cubitalis non est infinite brevis positivè, sed infinite brevis negativè, hoc est dicens negationem infinitudinis lineæ. Et cum ista infinitudo sit negativa, non debet esse per continentiam alicujus, sed non nisi per negationem alicujus. Reflectendoque ad materiam de Connotatis, non est infinite vilis creatura secundum id, quod dicit in recto, vilior enim est musca; sed est infinite vilis, secundum id, quod dicit pro formali, & in obliquo; quia dicit carentiæ terminorum infinitudinis, negationem, vel breviter, negationem infinitudinis. Deinde cum in ratione gratiæ, vel lineæ possit dari adhuc minoritas majoris, non debet dici linea infinite brevis, vel homo infinite non gratus: Jam autem in ratione carentiæ infinitudinis divinæ non potest ulterius procedi; ideò poterit adhuc dici creatura infinite vilis. Addo ly creatura infinite vilis dictum de homine, vel potest comparari ad Deum, vel potest comparari ad muscam? Si comparatur ad Deum, est infinite vilis; si comparatur ad muscam, non est infinite vilis. Quod ipsum in hoc fundatur; quia esse vilem est prædicatum respectivum, & ad aliud, & ratione ad aliud defu-

desumibile; & sicut linea excessiva est prædictum ad aliud, potestque respectu unius esse excessiva non respectu alius; ita idem dicendum de infinitate vilitatis.

Quod attinet ad vocem. Usus obtinuit dicere, hominem esse infinitæ vilitatis: licet ratio pro dubitatione adlata, deponat, orta nonnisi hac questione, hic & nunc explicationem vocis.

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur alia fundamenta Oppositorum.

OBJICIT 2. de Lugo. Malum simpliciter infinitum in ratione mali est istud, quod non potest excogitari aliud majus malum: continet enim in se omnem malitiam excogitabilem. Sicut bonum simpliciter infinitum in ratione boni, est, quod continet in se omnem perfectionem excogitabilem. Quod multis illustrat. Sed peccatum non est tale malum: nullum enim est peccatum, quod in se contineat malitiam, & gravitatem omnium peccatorum, & quo non possit aliud majus malum & gravius excogitari. Ergo nullum, habet malitiam simpliciter infinitam.

RESPONDETUR. Nullum esse peccatum quod in ratione malitiæ, quæ malitia est, non possit dari aliud majus & gravius: nullum tamen potest dari majus, in ratione offensæ: quasi scilicet infinita dignitas magis aggravat unum peccatum, quam aliud, vel plura. Et sicut plura merita Christi sunt non nisi extensive majora præ uno: ita idem in præsentī dicendum.

EXPLICATUR Distinctio. Fieri potest, ut aliqua in una formalitate sint æqualia: in alia formalitate simpliciter inæqualia. Illustratur hoc Instantiis ex prima Parte: quia creatio mulsæ & creatio Angeli, si spectentur in omnipotentia, æqualitatem habent, si spectentur in terminis, dicunt eorum inæqualitatem. Ex Prima Secundæ. Si quis dederit ex intentione charitatis ut 7. scyphum aquæ, alius vitam, in ratione meriti & digni, quoad libertatem primitivam, æqualitatem habebunt; & tamen objecta illorum actuum erunt inæqualia. Ex Tertia parte. Actiones Christi in ratione dignificationis à persona Verbi æqualitatem habent, & tamen in rationibus materialibus summam inæqualitatem. Hinc etiam actiones naturales Christi æqualem habent dignitatem cum supernaturalibus; & tamen habent inæqualitatem ratione Ordinis. Quod si possunt esse aliqua inæqualia in una formalitate, æqualia in alia, poterit etiam mortale unum esse æquale alteri in ratione offensæ, & non in ratione malitiæ. Porro nomine malitiæ venit oppositio ad bonum, quod est gratia, major dissonantia ad naturam intellectualem, & legem gravio-rem penam interminantem: in quibus formalitatibus, quia peccatum finitum est, potest esse

unum majus altero, quia verò in ratione offensæ infinitum est, ut supra probatum, fit ut cum unum infinitum non possit esse majus altero in ratione infiniti, ut etiam illæ offensæ in ratione offensæ sint æquæ infinitæ.

INSTABIS. Hanc sententiam esse Stoicorum, qui omnia peccata dicebant esse æqualia.

RESPONDETUR. Stoicos nunquam curasse formalitatem offensæ divinæ. Unde nec de illa discurrebant, sed solum attendebant ad malitiam peccati, & ad dissonantiam ad naturam intellectualem, & in hoc ponebant æqualitatem. Patetq; ex argumento quo id probabant. Quia dicebant, Omnes actus æque sunt veri, & omnes actus æque sunt falsi, cum veritas sit attinentia objecti, & falsitas non attinentia; in utroque autem non datur minus & majus. sic inquebant vitium non admittit majus & minus, quia consistit in non attinentia objecti secundum rationem.

ADDO. Si per oppositos æque unum peccatum atq; plura tollit gratiam, cur non offensæ in ratione offensæ æque se habebit una ac plures? Constans enim mensura offensæ est, eadem dignitas divina. Attendendo ad has duas formalitates in peccato malitiæ & offensæ, dico. Si per impossibile Deus offenderet creaturam peccato mortali, peccatum illius in ratione malitiæ esset majus, magis enim dissonat deficere naturam divinam quam creatam; esset tamen minus in ratione offensæ: quia personam minus dignam offenderet. quia autem eadem Persona divina singula peccata in ratione offensæ aggravat, hinc singula in ratione offensæ sunt æqualia.

OBJICITUR 3. Actus amoris terminatus ad objectum infinitum quod est Deus, non est infinitus simpliciter: ergo neq; offensæ terminata ad personam infinitam, erit infinita.

RESPONDETUR. Imprimis retorquendo argumentum; cur per oppositos non crescat ille amor ad aliquam infinitudinem, cum tamen crescat offensæ, saltem ad infinitudinem secundum quid: & quam illi rationem pro se attulerint eandem nos dabimus. Rursus nullum est Axioma quod dicat secundum dignitatem objecti esse dignitatem actus: est autem Axioma, quod secundum dignitatem personæ crescat gravitas offensæ. Disparitatem ergo facit Axioma pro consequenti serviens. Deniq; quia est manifestum absurdum, si ex dignitate objecti taxetur dignitas actus: quia aliàs error de Deo vel opinio, quam haberet Angelus esset dignior, præ demonstratione, quam haberet homo de quadratura circuli: hoc tamen constat, quod quod objectum est dignius, eò etiam potentia versans per actum circa objectum debeat esse perfectior; actus autem ipse insuper perfectionem ex modo versandi habet.

INSTABIS. Si peccatum esset infinitum in ratione offensæ, sequeretur non posse esse perfectius.

(B) 2. etiam

Etiam contritionem ex motivo charitatis, quia si fiat detestatio peccati ex alio motivo, ut quia peccatum est offensa Dei infinite digni, hæc detestatio esset major, quia detestari peccatum appetitivamente infinite ita ut amplius non sit detestabile, est perfectius illud detestari, quam appetitivamente finitè. Quod ipsum probatur, quia actus qui detestatur peccatum, secundum rationem formalem motivam detestabilitatis infinite in objecto reperibilis, detestatur appetitivamente infinite. Sed actus detestationis quo detestor peccatum, secundum rationem offensæ, contra dignitatem Dei infinitam, secundum nos attingit rationem formalem motivam detestabilitatis infinite in peccato reperibilis, actus verò quo detestor peccatum secundum quod est malum, seu divinæ Bonitati repugnans, seu secundum rationem malitiæ, attingit rationem formalem detestabilitatis finitæ in peccato reperibilis.

RESPONDETUR. Tanta est infinitas Bonitatis divinæ, quanta infinitas dignitatis divinæ: quod si utrobique sit æqualis infinitas, sive actus attendat huic formalitati, sive illi, procedit ex motivo infinitudinem involente. Deinde non est mensura dignitatis actus, objectum, unde quamvis mensuretur dignitate offensus offensa, nihil simile dicitur de dignitate actus desumibili ex objecto: Supponitur etiam aliquid solvendum ipsi objicenti; nam & ipse non desumit infinitatem secundum quid peccati ab oppositione bonitati, sed à vilitate peccatoris. Ergo ut aliquis perfectius doleat, deberet assumere non motivum, quod est Bonitatis divinæ, sed quia ille vilis est, qui offendit. Supponit item aliquid, quod nos non dicimus, non dicimus enim malitiam peccati desumi ab oppositione, ad summum bonum, sed à sua majori vel minori dissonantiâ à præcepto, graviore vel leviori, obligatione &c. Quod si quæras, quare tamen non dolemus ob dignitatem offensæ: sed propter Bonitatem divinam; quia scilicet illa ipsa offensæ, est facta aversio à summo bono, hinc ad tollendam offensam, maxime congruit hoc, quod opponit se illi aversioni. Rursus si homo non potest satisfacere, saltem faciat quantum potest, non faceret autem quantum potest, si non amaret saltem virtualiter, quia solus amor est maxime conjunctivus.

Discurri insuper ex hac occasione posset. An quia offenditur summum bonum, hoc ipso reddatur infinitum per nos peccatum. Et affirmativè dicendum. Quia infinita Dei dignitas, non ex alio est, nisi ex infinitudine Bonitatis, & perfectionis nec sine his titulis habetur illa dignitas, esset enim merè titularis.

OBJICITUR 4. Peccatum veniale non est infinitum simpliciter: Ergo neque mortale.

RESPONDETUR. Quamcunque rationem attuleris, quod veniale non sit infinitum secun-

dum quid, eandem nos adferemus, quod non sit infinitum simpliciter. Rursus Patres spirituales & cum eis Lancicius tomo 2. Opusc. de Fuga Venial. cap. 3. totum concedit. S. Thomas negat peccato veniali rationem offensæ, & rationem peccati simpliciter, vide eundem 1. 2. qu. 74. a. 9. in corpore. Et certè hoc est offensa quod aufert gratiam, si veniale non aufert gratiam, non erit offensa. Denique Disparitas est, quia in moralibus offensæ leves non mensurantur dignitate personæ, secus graves; pro quibus militat Axioma: quia autem veniale, est offensa levis, mortale gravis, pro mortali militabit Axioma. Et certè esset absurdum, si offensæ leves mensurarentur dignitate personæ, & essent enim leves, ut supponitur, & non essent, quia multum aggravarentur: nullum autem est absurdum si mortale multum aggravetur, adeoque ut crescat in gravitate ad dignitatem offensus, quodque ita crescere debeat probant argumenta allata.

OBJICITUR 5. ex Oviedo. Gravitas offensus non solum crescit ex perfectione objecti, sed etiam ex perfectione cognitionis: quia persona offensa tantum media cognitione influit in actum voluntatis. Ergo cum cognitio personæ offensus non sit infinita, non refundet infinitatem in offensam.

RESPONDETUR. Influit quidem mediâ cognitione persona infinita in offensam. Sed non tanquam ratione taxante offensam, sed tanquam conditione applicante. Jam autem potest esse conditio applicans inferioris ordinis præ eo, quod applicatur, & ita applicatio est accidens, mediâ tamen applicatione potest esse substantialis influxus. Unio Hypostatica est quid creatum, & tamen applicat terminum increatum. Cognitio proponens objectum voluntati Christi, erat finita, & tamen infinite dignificata.

INSTABIS 1. Potest esse actio aliqua ita levis, idque beneficio advertentiæ dictantis hoc esse leve, ut non excreseat ad rationem offensæ gravis. Ergo poterit etiam esse actio aliqua gravis quidem, non tamen crescens ad æqualitatem offensæ, cum alia actione gravi, idque beneficio advertentiæ, dictantis, hoc non esse grave.

RESPONDETUR. Disparitatem esse. Quia in casu Antecedentis actio illa poterit esse levis, quia dictatur levis; in casu autem consequentis non poterit actio esse gravis, quia non dictatur gravis, & si dictatur gravis, tum primum non est in potestate advertentis sistere terminum, ne ulterius & ulterius aggravet persona offensam; sed hoc totum spectabit ad ipsam personam offensam, quæ pro sua parte non magis aggravat unam quam aliam offensam. Ut probatum. Supponit autem Responso, quod proximum inductivum, quare hoc, sit levis offensa; habeatur à dictamine; hinc si sit dictamen de levi offensa, erit non nisi levis offensa; consequen-

ter si non sit dictamen de gravi offensa, non erit gravis offensa, ex contraventione enim dictamini, proximè incurritur culpa.

INSTABIS 2. Ex istis, quæ opposuit sibi Lugo cit. n. 37. & Ariaga citat. n. 47. Si Deus re ipsa non esset infinitus, homo tamen peccans putaret invincibiliter illum infinitum, æquè tunc peccaret, atque nunc: Ergo apparet quod gravitas peccati non mensuretur dignitate offensis, sed cognitione dignitatis. Antecedens probatur. Si quis invincibiliter putaret, esse idem jejuni, etiamsi non esset, comederetque tunc carnes; æquè peccaret, atque si esset dies jejunii revera: Ergo & qui putaret Deum esse infinitum, etiamsi non sit, æquè offenderet.

RESPONDETUR. Casu quo committeretur peccatum, & Deus re ipsa non esset infinitus, putaretur tamen infinitus, peccatum illud in ratione malitiæ posset esse æquale præsentibus peccatis, quæ dum committuntur, scitur Deum esse infinite dignum; non tamen esset in ratione offensæ æquale, quia ratio offensæ veræ requirit taxativum verum; tantam vel tantam dignitatem personæ. Paritatem allatæ negatur consequentia. Quia in casu antecedentis salvatur utraq; formalitas peccati: salvatur etiam malitia ratione voluntariæ transgressionis Legis representatæ, salvatur etiam ratio offensæ, quia revera taxativum illius idem est, nempe dignitas offensis. In casu autem consequentis, manet quidem eadem malitia desumibilis à voluntario ex præcognitione, non tamen manet eadem offensa, desinente scilicet aggravativo offensæ, nempe personæ. Illustrat hoc Lugo. Si Petrus volens vulnerare Regem, vulneraret servum Regis, non posset rationabiliter hic servus æquè indignari, sicut potuisset indignari Rex ipse si fuisset percussus. Ergo idem in præsentī dicendum: titulus enim rationalis ad offensam videtur esse personalis; datusque personæ ad retundendam insolentiam Adversariorum. Sed contra.

INSTABIS 3. Ariaga. Insolentia Adversariorum nec in minimo minuitur ex eo, quod Rex ipse loco sui alium posuerit, qui sit percussus: non enim in hoc casu imminuitur occisionis insolentia, quàm si re ipsa non fuisset facta illa mutatio. Ergo fundamentum odii & aversionis formalissimè in uno, ac altero casu est idem.

RESPONDETUR. Esse quidem in Rege idem fundamentum aversionis: quia si ve aliquis velit occidere Regem, casu occidendo alium, si ve occidat Regem, manet eadem personæ dignitas; sed non est idem fundamentum aversionis in servo percusso, cum de facto non habeat Regalitem. Hic autem discursus procedit de persona, vel Deo, non habente tantam dignitatem, sicut nec servus habet Regalitem. Unde aversio illa ratione dignitatis offensæ fundatur in malitia actionis, tanquam in

præsupposito, sed non tanquam in ratione formali taxandæ gravitatis sub formalitate offensæ. Hinc peccatum non dicimus esse offensam, quomodocumque spectatum, sed prout dicit aggravationem sui a persona.

INSTABIS 4. Idem. Si quis judicans se occidere filium veri Regis, occidat alium casu ibi constitutum, censetur eadem poenâ dignus, & eandem Regi injuriam intulisse. Ergo idem faceret Deus, qui non eventus phylicos, sed animum operantis respicit.

RESPONDETUR. Rex quidem poterit percussorem æquè punire, atque si revera filium suum occidisset: quia revera habet in se regalitatem taxativam illius actionis; sed servus occisus non habet fundamentum tam magnæ aversionis atque Rex: defacto enim regalitatem non habet: quia ergo in casu proposito non habetur aggravativum offensæ infinitum, nec red-detur illa offensa infinita. Quod dicitur de Actionibus internis carentibus executione externa, locum etiam non habet: quia non positâ actione externâ habetur adhuc aggravativum infinitum actionis internæ. Unde & repetitò dictum, ratio offensæ debet esse voluntaria, hoc est, ex præsuppositione voluntatis; non voluntaria, quasi voluntario ipsam magnitudinem offensæ taxante.

INSTABIS 5. Idem. Quod non offendatur tunc famulus loco Regis occisus, id inde est, quia occisor non offendit tunc famulum; quia illum ignorabat esse, sufficitque quod sit meritis æqualem poenam occisionis Regis apud Judicem: ita licet apud illum minorem Deum non mereretur aliquis tantum odium, atque si revera esset infinitus quatenus tamen ille tunc esset caput Reipubl. posset tanto odio illud habere, quanto me posset prosequi alter Deus altior, quem volui re ipsa offendere.

RESPONDETUR. Quamvis non sciat occisor, occisum esse famulum, scit tamen esse hominem; neque tamen ille homo habet fundamentum ita irascendi sicut Rex caput Reipubl. possetque illum punire Rex, atque si revera Regem occidisset, quia ut dictum, manet adhuc taxativum illius occisionis, vera dignitas Regiæ non esset autem jam taxativum ullum infinitæ offensæ. Et sicut si illic ubi est Respublica sine ullo Rege, si inquam illic, aliquis haberet voluntatem occidendi Regem occideretque aliquem; non ideo magis puniretur, quia defacto nullus est Rex inibi: ita & in præsentī. Unde concedimus Martino Perez urgenti, quod tendentia creaturæ in Deum secundum rationem malitiæ sit finita; sed nego sub ratione offensæ esse tendentiam finitam. Concedo minorem esse offensam, quod minor est in offendente cognitio offensis, si scilicet plena advertentia non accedat, secus si accedat, ut dictum supra. Sed insuper

INSTAT 6. *Martinus Perez.* Ipsa injuria & offensa est peccati malitia prout Deum extrinsecè denominat offensum: Nam ex eo solum quod concipiatur Deus præcisè ut subjectum & peccatum ut forma extrinsecè, dicitur Deus subjectivè pati in honorem. Ergo talis offensa non est simpliciter infinita. Probatur Consequentia. Quia talis offensa nequit esse infinita ratione formæ seu malitiæ; hæc enim sicut & ipsa entitas finita est: neque ratione subjecti quod denominat, quod ipsum probatur. Tum quia. Actus bonus quo Deus dicitur honorari subjectivè tametsi habeat subjectum infinitum, non est tamen simpliciter infinitus. Tum quia, non aliter denominare potest Deum, nisi prout illa actio elicitur ab homine, & illi imputatur ad culpam; hoc autem pacto non est infinita simpliciter; cum sit entitas peccati finito modo ab homine elicitæ. Tum quia. Non assignatur ratio, cur quod attingit physicè objectum infinitum, non sit infinitum, & quod attingit extrinsecè sit infinitum.

RESPONDETUR. *Negando Consequ.* Honor enim non est in honorato, sed in honorante; neque taxa honoris, quæ magnus sit, est dignitas honorati, sed ipsa conditio actus, unde etiam honor potest superare honoratum. Jam autem taxa offensæ est persona offensa, nec usquam offensa superat dignitatem offensi. Denominat autem offensa Deum, prout est elicitæ ab homine, non quomodocunque, sed prout taxata dignitate divinâ: sic autem nego, quod non habeat infinitatem. Denique cum mensura dignitatis actus non sit objectum, ut supra dictum, non est mirum, quod actus non crescat ad dignitatem objecti; taxa autem offensæ, est dignitas offensi. Non placet etiam imaginatio quod peccatum sit tanquam forma, & Deus tanquam subjectum: quomodo enim peccatum subiectatur Deo? Sed potius debet poni tanquam mensurabile & taxabile; dignitas autem Dei erit tanquam taxa.

INSTAT 7. *Idem.* Offensa non involvit intrinsecè Deum, ergo nequit esse infinita simpliciter.

RESPONDETUR. Non eo sensu dicitur peccatum infinitum simpliciter, quasi intra suam entitatem imbibat aliquam infinitatem: sed eo sensu, quia in entitate finita, taxam in ratione offensæ habet infinitam.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Instantie Recentiores.

OBJICIT 1. *quidam.* Ut aliquid sit simpliciter infinitum, necesse est ut includat intrinsecè saltem partialiter aliquid infinitum simpliciter. Si enim omnia constitutiva intrinsecè alicujus totius, erunt simpliciter finita,

quomodo totum ipsum erit simpliciter infinitum, cum finitum additum finito, non faciat infinitum. Atqui offensa Dei in ratione offensæ personalis ne quidem partialiter includit intrinsecè aliquid infiniti simpliciter. Ergo non est simpliciter infinita. *Probatur Minor.* Quia istud infinitum simpliciter inclusum intrinsecè in offensa Dei personali, non esset aliud, nisi Deus offensus. At Deus offensus ad communicandam gravitatem offensæ, non concurret formaliter & immediatè ac ratione sui, (sicut concurret omne intrinsecum constitutivum totius) sed concurret tantum mediante cognitione sui: concurret enim ut objectum offensæ, de ratione autem est objecti voluntatis, ut concurret per cognitionem sui. Concurret ergo Deus ad offensam, non nisi extrinsecè, ac proinde omnia constitutiva intrinsecè offensæ Personalis divinæ, quæ talis, sunt simpliciter finita.

RESPONDETUR 1. huic argumento, quod videatur procedere ex particularibus arguentis Principiis, quod sic probatur. Offensa est aliquid relativum, nemo enim seipsum offendit, si est relativum, est, vel secundum esse, vel secundum dici, & quia ista offensa est realis, non potest esse nisi Relativa secundum esse. Si autem offensa est Relativa secundum esse, est Relativa vel relatione transcendentali vel prædicamentali. Si est offensa relativa relatione Transcendentali ad offensum, cum nulla relatio Transcendentalis componatur suo termino, tanquam parte, hinc tale consurget argumentum. Potest salvari ratio Relationis ad offensam sine hoc, quod componatur illa offensa, offenso tanquam parte; Ergo & poterit salvari ratio offensæ infinitæ, quæ etiam est relativa, sine hoc quod componatur personæ offensa infinita tanquam parte: sicut enim prædicatum hoc offensæ relativæ desumitur ab offenso, quem tamen non est necesse esse partem offensæ, ita cum infinitudo desumatur ab ipsa persona offensa infinita, non erit necesse esse personam infinitam partem offensæ infinitæ. Sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita tale ad tale. Si autem offensa refertur ad offensum relatione prædicamentali, manebit in nostris Principiis, non probatum oppositum, quia si Relationem prædicamentalem, ut sit Relatio prædicamentalis non est necesse componi termino tanquam parte, etiam offensam infinitam non erit necesse componi personam infinitam tanquam parte.

INSTAT *Idem.* Evidens est, Relationem creaturæ ad Deum non esse infinitam, quia non componitur tanquam parte Deo, idem dic de Amore. Consequenter cum non componatur offensa infinita, Deo tanquam parte, non erit offensa illa infinita.

RESPONDETUR. Concedo quod Relatio creaturæ ad Deum, non componatur tanquam parte,

parte, Deo, nec item Amor ejusdem aut Visio; sed non ex eo illa relatio creature non est infinita, quia non componitur Deo tanquam parte, sed quia non eo Relatio est major, quod Terminus ipsius est major, nec principium attollendi Relationem est dignitas Termini. Hinc dicit error de Deo, Relationem Transcendentalem ad Deum, & demonstratio de existentia Angeli, dicit pro Termino Angelum, qui est quid ignobilius; & tamen, non est dignior error de Deo præ demonstratione, quæ habetur de existentia Angeli. Quia autem offensæ attolluntur dignitate personæ; Hinc quantumvis illa persona non sit pars offensæ, cum ipsa & attollat offensam, & sit simpliciter infinita, poterit eandem reddere simpliciter infinitam, quantumvis eam non componendo. Breviter ergo disparitas est, quia non est principium quod dicat relationes attolli dignitate Termini præcisæ, est autem principium, quod dicit aggravari offensas dignitate offensæ, & cur non erit hæc aggravatio, usque ad infinitudinem, quantumvis offensæ non componatur tanquam parte, offensa.

RESPONDETUR 2. Examinando Majorem. Quæ est talis. Quod est infinitum simpliciter, debet habere saltem aliquam sui partem constitutivam infinitam. Quæ Major videtur habere, pro se inductionem, nam nisi sint numeri infiniti, non erit infinitum multitudinis; si non erit infinitum in extensione, non erit infinitum magnitudinis. Sed in oppositum est inductionis. En Unio hypostatica per omnem Theologiam est infinitæ dignitatis, neque tamen componitur personam divinam tanquam parte. Non dico meritum, ne controversa materia cum arguente attingatur, sed actiones Christi Theandricæ secundum rationem Theandricarum spectatæ sunt infinitæ dignitatis, & tamen non componuntur Personam divinam tanquam parte: nullus enim effectus, sive ut Quod, sive ut Quod, componitur suo principio tanquam parte. Ex hæc ergo harum Inductionum contradictorium, danda est Major, nempe infinitum si sit infinitum infinitudine absolutâ, exigere aliquam saltem partem sui constitutivam infinitam. Si autem sit infinitum infinitudine relativâ, non erit necesse componi illam infinitudinem relativam saltem aliquâ parte infinitâ. Et quia offensæ, est infinita infinitudine relativâ, non erit necesse, illam offensam componi aliquo infinito, tanquam parte.

INSTAT. Etiam Unio Hypostatica, non est infinita simpliciter.

RESPONDETUR. Si per Infinitum simpliciter intelligatur Infinitum in ratione Entis, indubie sic sumpta Unio Hypostatica, non est infinita simpliciter. Sed si sumatur in ratione dignitæ, appetitabilis, æstimandæ, per omnes dicitur esse infinitæ dignitatis. Proportionateque loquendo, offensæ in ratione Entis non est infi-

nita simpliciter, est tamen sub ratione aggravatæ dignitate infinita læsa.

RESPONDETUR 3. Examinando Minorem allati Argumenti. Concedo, impossibili reddito Deo, posse esse cognitionem offensi Dei. Concedo posse esse & volitionem offendendi. Nego, fore offensam, quia desideratur tertium, nempe dignitas infinita offendenda. Et sicut impossibilis est etiam per suppositionem non tollentem seipsam occisio Petri si non sit Petrus, ita impossibili offensa Deo, impossibile est etiam supponere, nisi suppositione tollente seipsam, offendi Deum; seu esse offensam Dei, & esse impossibilem Deum qui offendatur. Et sicut, si non esset ly aliud, impossibile esset, etiam concipere sine suppositione tollente seipsam dari, aliquid ad aliud; ita impossibile erit supponere esse offensam Dei, si supponatur impossibilis Deus. Quæ omnia in hoc Principium resolvuntur, æquæ ipsius ad Aliud definitionem ingreditur ipsum ad aliud, quam pars totum, licet utrumque non eodem modo ingrediat. Ergo sicut impossibile est concipere totum sine parte, nisi per suppositionem impossibilem tollentem seipsam, ita erit impossibile concipere offensam Dei impossibili manente Deo, nisi per suppositionem impossibilem tollentem seipsam, cum definitionem offensæ Dei ingrediat. Deus, & universaliter offensus, definitionem offensæ. Et si dicis. Impossibili manente Deo, si maneret volitio offendendi Dei, mansuram adhuc offensam Dei, dicam etiam, si impossibilis foret Filius, posse adhuc per impossibile vel possibile manere paternitatem.

ADDO. Videtur enervari necessitas Incarnationis ad satisfaciendum pro offensa mortali, si illa offensa non plus habet gravitatis, quam haberet, quantumvis Deus esset impossibilis, nec illo peccato offenderetur actu. Quod autem recurritur ad cognitionem finitam, & voluntarium finitum, id apud nos non tenet: quia si esset simpliciter & in ratione Entis peccatum infinitum, tum primum requireretur cognitio & voluntarium, infinita.

INSTAT. Sicut si impossibilis esset Deus, non esset possibile corpus & anima rationalis, creata, hoc tamen non esset nisi arguitivè.

RESPONDETUR. Transeat, quod id esset nisi arguitivè, quod impossibili Deo non posset esse homo: sed cur idem non dicis, quod impossibili Deo, sit etiam impossibilis arguitivè offensa.

OBJICIT 2. Constat Inductione, nullam esse in morali æstimatione offensam personalem, si persona offensa non concurrat ad offensam per cognitionem sui. Constat item, crescente tali cognitione, vel decresciente, crescere vel decrescere moraliter offensam in ratione offensæ personalis; Ergo etiam existente limitatâ cognitione Dei, qui offenditur, necesse est

limitari offensam Dei, in ratione offensæ personalis. Ergo cum nulla creatura sit capax illimitatæ cognitionis de Deo, necesse est omnem Dei offensam esse limitatam in ratione offensæ personalis.

RESPONDETUR. Constat quidem Inductione, non dari offensam personalem, si non concurrat cognitio offendendi: sed nego quod illa cognitio concurrat tanquam taxativum offensæ, hoc enim taxare, spectat ad ipsammet personam, quæ cum in præsentia sit divina, eaq; infinita, cumque se totâ taxet, reddet illam offensam infinitam simpliciter. Nego item constare, quod crescente cognitione crescat moraliter offensæ, in ratione offensæ personalis. Nam ut dictum supra, omnia peccata mortalia in ratione offensæ personalis sunt æqualia: neque enim unum infinitum est majus altero; licet contingat offensam in ratione malitiæ crescere, crescente advertentiâ & voluntario: consequenter nego, existente limitatâ cognitione limitari offensam, in ratione offensæ, licet limite-tur in ratione malitiæ, in ratione Entis &c.

OBJICIT 3. Ad producendam creaturam quamvis concurrat Creator infinitus, tamen creatura, non est simpliciter infinita, quia ad eam Creator concurret mediante creatione finitâ, & nonnisi extrinsecè. Ergo idem dicendum de offensâ Dei personali, ad quam Deus offensus concurret per cognitionem sui limitatam.

RATIO à priori est. Quia illa sola sunt constitutiva intrinseca alicujus totius, quibus solis positis, præcisè, necesse est poni totum, quamvis cetera omnia, quæ non sunt constitutiva intrinseca per possibile vel impossibile, deficiant: nec enim aliter poni potest totum, nisi positis omnibus suis intrinsecis, à quibus simul sumptis non distinguitur. At posito actu libero creaturæ contra legem Dei, & positâ cognitione talis legis, eo ipso necesse est poni offensam Dei personalem, etiamsi desit talis lex Dei, imò etiamsi per impossibile deficiat Deus (sicut positâ re creatâ, & creatione, necesse est poni creaturam, etiamsi per impossibile desit Deus) quandoquidem eo ipso ponetur formaliter contemptus divinæ voluntatis. Ergo nonnisi actus liber malus, & cognitio Dei, constituunt intrinsecè Dei offensam personalem, Deus autem concurret extrinsecè.

RESPONDETUR. Negando paritatem. Disparitas est, quia cum non sit Axioma, quod quod efficiens est dignius, eò productum illius non univocum esse dignius: hinc fit, ut quamvis creator sit infinitus, non sit necesse productum illius non univocum, quod est creatura, esse infinite dignum, est autem axioma, eò major est offensâ, quod dignior offensus.

Rursus argumentum multum probat, nempe peccato ne quidem infinitudinem secundum

quid convenire, quia creatura ex eo, quod producat a Creatore infinito non dicitur infinita etiam secundum quid. Nego etiam legitimam esse hanc causalem. Ideo creatura non est infinita simpliciter, quia ad eam Creator concurret mediante creatione finitâ. Pone enim per possibile, vel impossibile, poni infinitum actione finitâ entitative, terminative infinitâ, verè erit adhuc illud infinitum simpliciter. Illa definitio quæ adfertur partis, examinata est alibi. Sed illâ etiam suppositâ: Nego ex altis ad argumentum primum, si per impossibile deficeret Deus, ponendum adhuc formalem contemptum divinæ voluntatis, & sicut nemo Polonorum contemnit legem Chinarum Imperatoris, latam Polonis, de abroganda libera electione, quia ille non est legislator, ita nec contemnitur voluntas Dei, si sit impossibilis Deus.

INSTAT. Constitutivum intrinsecum hoc differt à connotato extrinsecum, quod illud concurrat, ad suum effectum seipso, exhibendo suam Entitatem & dando in partem effectui: Connotatum verò extrinsecum non sic concurrat, sed mediante vel suo effectui, vel actione, vel passione &c. Cum ergo Deus mediante cognitione sui concurrat ad offensam Dei personalem, non autem seipso immediate, sequitur, quod sit tantum connotatum extrinsecum offensæ, aliunde autem constat à connotato extrinsecum non desumi infinitatem, alias, omnes creaturæ essent infinitæ, quia connotant Creatorem infinitum.

RESPONDETUR. Nego per hoc differre constitutivum intrinsecum à Connotato extrinsecum, quod illud concurrat ad suum effectum seipso, non autem concurrat connotatum extrinsecum. Certè enim Unionis Hypostaticæ & cujusunque alius unionis, non est constitutivum intrinsecum persona vel natura, & tamen seipso, & suâ Entitate, terminat illam unionem; seipso item objectum terminat cognitionem &c. & tamen est connotatum extrinsecum cognitionis, licet certum sit, quod constitutivum intrinsecum det se in partem, non autem connotatum extrinsecum. Nego item, quod Deus seipso immediate non concurrat in genere taxativi ad offensam personalem, sed mediat cognitio tanquam applicativum taxativi. Concedo quod non ab omni connotato extrinsecum desumatur infinitas, sed nego, à nullo connotato extrinsecum desumi. Instantia de creaturis, probat universalem hanc esse falsam: Ab omni connotato extrinsecum infinito desumi potest infinitas; sed non probat desumi non posse ab aliquo. Eadem instantia, ut dixi, multum probat, quia probat offensam personalem divinam, ne quidem esse infinitam secundum quid. Quid cum nec creatura sit infinita simpliciter, ex eo, quia connotat Creatorem infinitum, sed

solum Terminus illius est infinitus. Vide infu-
per immediate ante allatam disparitatem.

Continuatur Solutio.

Decurro hic aliqua argumenta quæ forma-
vit specialius Hamoldus lib. 4. a num. 13. Hinc

OBJICIT 1. Non omnia peccata æqualiter
avertunt à Deo. Ergo non omnia habent æqua-
litatem in Ratione offensæ, quam tamen debe-
rent habere, si sunt infinita in genere offensæ.

RESPONDETUR. Omnia peccata æquali-
ter avertunt, quo ad taxam quam accipiunt à
dignitate infinita adeoque omnia sunt æqualia,
sed non æqualiter avertunt, secundum facilio-
rem vel difficiliorem ad Deum regressum, un-
de & infideli difficilius est regressus ad Deum
quam Christiano.

INSTAT cum Palavicino. Quod ex duobus
inæqualiter Philosophicè peccantibus, ille qui
gravius peccat, voluntariè incurrit gravio-
rem indignationem Dei, quando autem malitia pec-
cati Philosophica est in uno gravior, tunc à Deo
magis prohibetur, & Deus propter illud magis
irascitur.

RESPONDETUR. In nostris principiis per
peccatum Philosophicum gravius, non incurritur
gravior indignatio Dei, nisi secundum radi-
calem exigentiam. Sed quicquid sit de hoc di-
cipote, quod quanto magis malitia Philoso-
phica peccati est gravior, tunc à Deo magis pro-
hibetur, hoc est pluribus titulis, sed non magis
prohibetur quasi Rationem offensæ plus vel
minus taxare possit, dignitas offensi.

OBJICIT 2. Dignitas Personæ offensæ non
auget gravitatem offensæ secundum ipsam sub-
stantiam suæ dignitatis præcisè sed eatenus qua-
tenus existit intentionaliter in mente ipsius of-
fendensis; Atqui hæc cognitio est valde imper-
fecta, representansque bonum infinitum per
modum finiti. Ergo illa dignitas non auget
malitiam peccati ut fiat infinita simpliciter.

RESPONDETUR. Concedendo totum se-
cundum quod termini sonant, cum per nos pec-
catum in ratione malitiæ non sit infinitum. Spe-
ctando autem vim medii termini, ad hoc jam est
supra responsum, dictumque quod ipsa cognitio,
non sit taxativum, sed applicatio taxativi con-
sequenter si taxativum sit infinitum, reddetur
offensa infinita, & sicut cognitio Christi, elicit
ab ejus humana natura, est finita, neque tamen
finitudo ejus obstat quominus sit infinitæ di-
gnitatis, ita nec in præsentī obstat.

OBJICIT 3. Ex Pallav. Nullum malum pot-
est esse infinitum. Ergo nec peccatum Ante-
cedens probatur, quia illud malum vel esse ne-
cessarium ergo non malum, quia omne necessa-
rium est bonum. Non contingens, quia Deus
illud cognosceret, adeoque liberè abstineret ab
eo impediendo, sed impossibile est ut voluntas
non efficaciter oderit ac repudiet malum infini-

tum cognitum ut tale, sicut impossibile est ut
non amet & velit Bonum infinitum cognitum
& tale. Ergo malum infinitum contingens est,
impossibile.

RESPONDETUR. An convertantur secum
necessarium & bonum disputabile esset, certe
enim Chymæra est necessario mala neque tamen
Chymæra est bona, sed hoc manu missio. Dici
potest: peccatum esse malum contingens, sed
de se quidem essentialiter malum, contingen-
ter tamen existens: infinitudo autem malitiæ
illius, hoc solum infert, quod non possit non de-
testari illud Deus, & non possit quantum est ex
illo velle illud, licet ad servandam indemnem
libertatem illud permittat. Instantia de Bono
infinito hoc solum evincit quod sicut non potest
non amari Bonum infinitum ita non possit odio
non haberi illa offensa, licet carentia amoris il-
lius Boni infiniti non possit haberi eo quod illud
Bonum sit ipse Deus, qui ne se amet Rationes
non potest habere cum possit habere Rationes
ut peccatum permittat. Quod autem adfert à
peccato privari nos bono aliquo finito hoc jam
est supra solutum, & tantum probat peccatum
in genere malitiæ, non esse infinitum.

ADDO. In peccato sunt duo illius Entitas,
Malitia &c. & tales formalitates sunt in pecca-
to finitæ imperfectionis, nec impeditivæ quo-
minus à Deo permittantur, aut ne ad illa Deus
cum creatura concurrat. Hoc autem quod fa-
cit infinitudinem, est ipsa excellentia Dei ag-
gravans, nec contra illam procedit argumen-
tum factum, cum importet Excellentiam divi-
nam. Sed posito etiam quod ipsa malitia pec-
cati & Entitas esset infinita, quia tamen esset
infinita infinitudine extrinseca, ex alia parte si
Deus non posset permittere peccatum, quia
spoliaretur Deus Omni-concurfivitate, quæ est
reducibilis ad Omnipotentiam, & est quid infi-
nitum intrinsecè, ideo adhuc debet Deus posse
permittere illam infinitudinem peccati Deus,
quæ est infinitudo extrinseca.

QUÆSTIO III.

De Peccato Philosophico ut sic.

Traçatur in tertia parte hoc Argumentum, Pec-
catum, quod non habet rationem offensæ infi-
nitæ, potest compensari per creaturam elevatam; sed
peccatum factum, sine advertentia ad Deum, non
habet rationem offensæ infinitæ. Ergo pro illo satis-
feri poterit à creatura elevata. Major spectat ad
tertiā partem. Minor hic discutietur, quod ut fiat.

PRÆMITTO 1. Quid sit peccatum Philosophi-
cum? Peccatum Philosophicum circumscri-
bendo conformiter ad dicta supra; erit defectus
ratione dissonantia ad practicum Conscientiæ dicta-
men, respicientis præcisè ordinem Naturæ. Non u-
tor hoc termino, quod peccatum Philosophi-
cum respiciat aliquid Non creatum. Quia si quis
pec-

peccaret advertens se amissurum gratiam Dei, haberet pro non peccando motivum creatum, peccaretque contra illud, & tamen peccaret peccato Theologico. Non usurpo terminum quod peccatum Philosophicum respiciat *motivum naturale*: quia si quis peccaret habendo demonstrationem naturalem de bonitate divina, peccaret contra motivum naturale, & nihilominus committeret peccatum Theologicum non philosophicum. Commodius ergo ponetur terminus, quod respiciat ordinem naturæ, prout illa condistinguitur Deo.

PRÆMITTO 2. *In qua suppositione possit committi peccatum philosophicum?* ima est, quando aliquis putaret invincibiliter, hic & nunc non esse Deum. 2da. Quando noscens esse Deum, putaret illum hic & nunc non offendi.

PRÆMITTO 3. *In duplici sensu maxime agitari præsentem Questionem.* Inprimis: *An possit committi peccatum sine ulla advertentia ad Deum?* Secundò: *Posico quòd fiat tale peccatum, eritne adhuc illud offensa divina?* ut hoc decidatur. Sit

DIFFICULTAS I.

Potestne committi aliqua actio graviter mala, sine ulla Dei memoria?

DICENDUM *Possè.* Est conclusio contra Antonium Perez.

PROBATUR 1. Quia id non implicat Contradictionem.

PROBATUR 2. Possibile est dari verum Atheum: quæ enim in hoc implicantia? cum defacto illius meminerit Scriptura: *Dixit impius in corde suo, non est Deus?* Et certè potest ita esse aliquis dispositus, ut nunquam se subdat instinctui ad inquirendum, an sit Deus? evenireque casus potest, ut differat ipse Deus ex altis consiliis suis in aliud tempus, immisionem cogitationis dese. Quoposito, sic arguitur. Atheus manens Atheus, vel potest committere aliquam rem graviter dissonam naturæ intellectuali, vel non potest? Si non potest; cur non? præcipuè cum Atheus supponatur esse liber, supponatur magis tentatus, supponatur minus habens de auxiliis efficacibus, si autem potest committere aliquam rem graviter dissonam naturæ intellectuali: vel relucebit illi tunc Deus, vel non relucebit? Si relucebit, ergo non supponitur esse Atheus contra quàm supponatur. Si non relucebit, ergo committet malitiam gravem sine advertentia ad Deum. Et sicut quando nos Christiani, cum confusa ad Deum advertentia peccamus, non dicimur per hoc peccare tanquam Athei; ita et si haberet ille Atheus saltem confusam advertentiam ad offensam Dei, verè non esset Atheus.

RESPONDET Perez. Quod Atheistæ negent Deum, quatenus hoc nomen significat expressè Gubernatorem mundi; sed non negare Deum in ratione finis.

CONTRA. Quia non repugnat etiam sub hac formalitate negari Deum, valebitq; argumentum in tali suppositione; imò fortassis talis non esset jam Atheus, sed errans circa Deitatem: Atheus enim debet definitivè negare Deitatem, seu esse Dei; quod jam in suppositione Perez non fieret.

PROBATUR 3. Tum quia potest benè intelligi dissonantia ad naturam intellectualem non cointelligendo Deitatem: ea enim sola postulant cointelligi & commemorari, quæ se habent relativè: sed gravis dissonantia ad naturam intellectualem non est relativa ad Deum; ergo potest intelligi sine advertentia ad Deum. Hoc probatur Inductione. Potest enim intelligi unum, quin intelligantur duo; & tamen non potest intelligi par, quin intelligantur duo: par enim omne, est relativè ad aliud. Potest intelligi Petrus quin intelligatur Paulus, & tamen non potest intelligi Petrus pater, sine filio Paulov.g. quia hæc sunt relativa. Quod ipsum in hoc fundatur: quia petens simul cointelligi; & esset absolutum, ut supponitur; & non esset, quia notitia illius germana accommodansq; se conditioni objecti, non stare in se, sed ad aliud se haberet: ergo & ipsum objectum esset tale; utpote cui se accommodat notitia.

MINOR principalis probatur. Quia non potest ostendi in quo sit ista relatio, si præcisè sumatur dissonantia ad naturam intellectualem: & quæcunq; ratio ostendet, quòd notitia hominis sit notitia absoluti: eadem ostendet notitiam naturæ intellectualis, esse absolutam. Et certè non est major connexio animalis cum rationali, & tamen potest attendi ad animalitatem, ne confuse quidem attendendo ad rationalitatem. Ergo idem in præsentī dicendum.

Tum quia. Si non posset committi aliqua actio graviter mala sine ulla Dei memoria, vel adhuc daretur ratio communis naturæ intellectualis, quæ sit genus ad naturam intellectualem creatam, & ad divinam, vel non daretur? si non daretur, non posset dici de Deo & creatura; quia vel supponeret pro sola creatura, & sic non posset dici de Deo; vel supponeret pro solo Deo, & sic non posset dici de creatura. Si autem datur ratio naturæ intellectualis communis Deo & creaturæ; quæro, vel habet bona communia utriq; illa natura, vel non habet? Si non habet, quomodo est Ens, cum omne ens deponat sibi bonitatem. Quod si illa natura determinat sibi bona. quæro, illis bonis opponi & privari, vel est bonum, vel malum? Si bonum, verificabuntur duo Contradictoria. Est bonum, esse bonum, non est bonum, esse bonum: siquidem etiam privatio illius boni, bonitatem habet. Si autem opponi illis bonis est malum; quæro, an illis bonis opponendo se, eo ipso se quis opponit bono Dei, quæ tali, vel non opponit? si non opponit; Ergo potest facere malum.

malum sine oppositione ad Deum. Si opponit se bono Dei, quā tali. Ergo bonum naturā intellectuales ut sic, est bonum Dei, quā tale: Ergo non conveniens creaturā: sicut Aseitas quia est bonum Dei quā tale, non convenit creaturis.

Tum quia. Si non potest committi peccatum ratione dissonantiē ad naturam intellectualem, nisi cum confusa memoria Dei, vel illa confusa memoria est talis, qualis est notitia hodie in Mexico fortē nati infantis, cum formo conceptum nati hominis. vel ita confusa est, quo modo confusa est notitia, dum à longē non discernit, Petrusne eat, an Paulus. Non priori modo; quia sequeretur sine ulla Dei memoria fieri peccatum: nihil enim tunc reluceret de Deo, confusioque æquivaleret incognitioni: quia re vera tunc nullam sui speciem expressam haberet Deus. Quod si est confusa memoria Dei secundo modo. contra erit, quia experimur noscēdo naturam intellectualem, nullo modo nos repræsentare ipsū Deum.

Tum quia. Possumus moveri ad amorem bonitatis infinitæ, nullo modo nos tunc movendo amore creaturæ. Ergo poterimus etiam nobis proponere motivum aliquod creatum nihil cogitando de Deo.

OBJICIT 1. Perez & supponit duo principia. Primum. Malum dupliciter accipi. Imo. Tanquam disconveniens subjecto, ut cæcitas oculis. 2. Tanquam subjectum disconvenienter se habens, ut oculus cæcus: Neutrum autem malum concipi à nobis nisi relativē ad subiecti finem. Sic nomine oculi mali intelligimus oculum ineptum ad visionem, qui est oculi finis. Secundum Principium. Per hoc differre malitiam moralem, à reliquis malitiis, quod malitia moralis reddat hominem malum, vel certè minus bonum, quā debeat esse: cætera autem mala non reddunt hominem, malum hominem, sed malum secundum quid, v.g. malum musicum. His positis, format Argumentum. Qui peccat, prævidet jam antequam peccet, peccatum habere malitiam moralem, per quam reddatur ineptus, vel minus aptus ad finem hominis: Ergo antequam peccet homo præcognoscit hunc finem, at solus Deus est hic finis: Ergo.

RESPONDETUR. Negando quod in omni peccato prævideatur in malitia ineptitudo ad finem Theologicum hominis: sed potest prævideri ineptitudo ad finem philosophicum hominis: qui est, consonas naturæ intellectuali facere operationes.

Deinde, ex objecto & pro statu reali finis noster est Deus, sed nego ratione repræsentationis non posse esse alium finem, ut de Epicureis multi senserunt; quod pro fine posuerint delectationes sensuales.

INSTAT IDEM. Qui peccat, cognoscit pec-

catum esse dissonum fini maximo, & præferendo cæteris: at hic finis est Deus.

RESPONSUM. Qui peccat cognoscit peccatum esse dissonum vel fini maximo philosophico vel Theologico, non tamen semper Theologico.

Deinde qui peccat, cognoscit peccatum esse dissonum fini maximo quem cognoscit, sed non fini maximo quem non cognoscit; supponitur autem non cognoscere Deum.

OBJICIT 2. Omne peccatum est offensā Dei, odio enim est Deo impius, & impietas ejus.

RESPONDETUR. Verum id esse de peccato Theologico, sufficitque ut omne peccatum sit offensā Dei, vel materialiter, vel formaliter, non est autem necesse, ut sit semper formaliter offensā.

INSTAT 1. Maxima peccati malitia est ea, quæ est culpabilis, & voluntaria. sed præcipua malitia consistit in offensā Dei: Ergo illa voluntaria est, ac proinde cognita, ut offensā Dei.

RESPONDETUR. Præcipuam malitiam peccati Theologici stare in offensā Dei, sed non peccati philosophici: Unde negatur in omni peccato reperiri maximam malitiam: quia non reperitur in omni, ratio offensæ.

INSTAT 2. Sicut ad bonam gubernationem spectat posse Deum immittere dolorem pro offensā; ita spectat præmonere posse & incutere timorem, at non posset, si actu non immitteret timorem illum, ante quamlibet offensam.

RESPONDETUR. Negando Minorem. Quia procedit ad negationem potentia à negatione actus; Concedimus autem, posse Deum immittere ante quodlibet peccatum cognitionem de offensā, sed negamus immittere.

INSTAT 3. Quilibet perfectus amor Dei impedit quodlibet peccatum actuale; quia est Dei offensivum; quod non fieret, si quando peccamus non adverteremus; peccatum esse Dei offensam.

RESPONDETUR. Perfectum Dei amorem, si datur, impedire peccatum actuale; sed nego in Atheo quā tali, dari amorem Dei. Vel certè perfectus amor Dei impedit peccatum Theologicum, sed non philosophicum.

OBJICIT 3. & supponit. Duplicem esse cognoscendi modum. Alterum, cum actuali saltem confusa cognitione ad omnia entia & non entia rationesque sempiternas. Alter est sine tali cognitione. Primo modo cognoscimus, quando percipimus formaliter distinctionem unius rei ab alia, v.g. distinctionem Petri à Paulo, seu non Petro, & quia quilibet est vel Petrus vel non Petrus, ergo percipit omnia saltem confuse. Unde bruta non percipiunt distinctiones; quia non possunt percipere omnia. Quod ipsum pluribus exemplificat, dicitque non posse intellectum nostrum comparare bona opposita, nisi attingantur confuse reliqua, adeoque & ipse Deus

Deus. Item quando concipimus effectus accipientes esse à suis causis, necessario concipitur Deus: quia tunc necessario concipitur causa adæquata; & tamen causa adæquata effectus saltem in confuso, involvit Deum. Idem etiam dicendum est, de modo concipiendi propositiones æternæ veritatis: nam qui format has propositiones, necessario concipit aliquid esse verificativum propositionis æternæ, quod solus Deus est. Quo posito. Sic arguit. Peccator cognoscit bonum esse amandum, & malum fugiendum: Ergo cognoscit dissonantiam mali à bono: Ergo cognoscit inter omnia bona etiam Deum. Ergo ulterius cum dictæ propositiones sint æternæ veritatis, agnoscit verificativum illarum æternum, hoc est, Deum.

RESPONDETUR. Quod peccator cognoscat distinctionem mali ab omni bono, formando conceptum communem boni, in quo tamen nullo modo resplendant bona particularia singula, sed habent se reliqua planè ac incognita, habetque illa interdum nesciens pro talibus, quæ potest hic & nunc negare esse bona; sed non format conceptum communem boni, ita ut singula bona habeantur pro cognitis: hinc potest apprehendi peccatum esse malum bono naturæ intellectualis, quam participet Petrus, Paulus &c. nihil cogitando de Deo, imò cum expedito animo negandi, quòd hoc opponatur Deo; idque quòd vel implicet Deus; vel quia putatur hæc actio non offendi. Verificativum propositionum æternæ veritatis, est Deus: hoc sensu, quia ipse solus suo modo format ab æterno suas propositiones, sed verificativum objectum est ipsa connexio terminorum, ad quam solam attendendo potest aliquis velle malum sub ratione boni.

ADDO. Posset hic cogitari duplex notitia confusa. *Prima*, Vi cuius attingatur objectum in seipso particulariter, licet non clarè, ita ut non sit expeditus animus ad negandum objectum vi præhabitæ notitiæ, si de illo objecto interrogetur: talemque notitiam confusam Dei nego in omni peccato reperiri; cum Atheus vi notitiæ, quam format de natura intellectuali sit expeditus ad negandum adhuc Deum. *Secundò*. Cogitari potest notitia confusa, quæ repræsentat rationem communem, quæ in re quidem est aliquid particulare, sed nullo modo repræsentatum; & sic in re est Deus natura intellectualis, sed Atheo nullo modo repræsentatus. Hæc talis notitia confusa reperitur in omni peccato, sed non potest tribuere rationem offensæ voluntariæ, cum talis confusio stet cum ipso Non noscere.

Idem medius terminus sic proponitur. Quando ego concipio effectum aliquem individuum concipio illum ut emanantem à sua causa, at hæc causa solus est Deus.

RESPONDETUR. Quando concipio effe-

ctum non semper concipio ut emanantem à sua causa vera & reali, qualis est Deus, sed interdum concipio ut emanantem à causa repræsentata, potest autem non præsentari Deus.

INSTAT idem 1. Pollens libertate comparat opposita bona ut opposita, devenitque ad aliqua præeminentia bona: hoc autem bonum est Deus.

RESPONDETUR. Fieri interdum comparisonem non bonorum, quæ in re sunt, sed bonorum repræsentatorum, potest autem non repræsentari Deus.

INSTAT 2. Electio est formalissimè prælatio, prælatio pluris facit bonum prælatum præ repudiato: Ergo quod eligitur semper est maximum eligenti; fieri autem non potest ut aliquis eligat sibi maximum nisi ratio præmoneat, bonum ita eligendum, debere esse maximum: cum autem certissimum sit displicentiam, aut complacentiam divinam comitari unum oppositorum eligendorum; utrumque enim Deo placere non potest; non poterit in illo iudicio præmonente, bonum maximum esse eligendum, non fieri mentio divinæ complacentiæ.

RESPONDETUR. Ex objecto realiter loquendo verissimum est, quòd displicentia vel complacentia divina comitetur unum oppositorum eligendorum; potest tamen in objecto prout repræsentato & ratione subiecti non reluctere complacentia vel displicentia divina: Causa enim quo putetur impossibilis Deus, cogitatur impossibilis etiam ejus complacentia vel displicentia, aut nihil de illa cogitatur.

INSTAT 3. Eligere, est voluntariè sumere unam partem ut oppositam, & essentialiter incompossibile cum altera, ac proinde ut nullà potentia conjungibilem, at qui dicit nullà potentia conjungibilem, dicit neque à potentia divina conjungibilem, adeoque tunc reluctet Deus.

RESPONSUM. Tunc involvi in objecto Deum realiter spectato, sed non involvi Deum in objecto prout repræsentato.

OBJICIT 4. idem. Omni peccanti est per se notum, malitiam peccati esse simpliciter malam, id est, ab omni natura rationali odibilem, & à nulla natura rationali amabilem, nisi fortè per ignorantiam, aut impudentiam. At sub omni & nulla natura rationali Deus includitur aut excluditur. Ergo

RESPONDETUR. Deum sub omni & nulla natura rationali includi, vel excludi, realiter loquendo; sed non in ratione objecti prout repræsentati. Deinde notum est peccanti, peccatum ab omni natura rationali possibile, esse odibile; sed non à natura cæteroqui impossibili. Potest autem Atheus impossibilem judicare Deum. Et notum est peccanti malitiam ab omni natura rationali licet sibi incognita odibilem, sed non ab omni tanquam sibi cognita & reluctente: si autem sibi non reluctet nullo modo,

non dicetur aliquid volitum contra illam naturam, quantumvis non relucens.

OBJICITUR 5. Ex vi conclusionis sequi, infidelitatis peccatum esse minimum, siquidem non habebit rationem offensæ.

RESPONDETUR. Quando Atheus moneatur à Conscientia, ut disquirat, An sit Deus, negligitque id facere, tunc committit offensam divinam, & peccatum Theologicum ob illam relucenscentiam Dei. Caterum non habità tali pramonitione committeret nonnisi peccatum philosophicum.

DIFFICULTAS II.

an peccatum factum sine ad-vertentia ad offensam Dei, sit offensa Dei.

NEGAT Lugo, Tannerus & alii. Affirmat post Salaz & alios Oviedo contr. 2. a. n. 112. Ne longior sit Tractatio, dividenda difficultas erit.

Punctum Difficultatis 1.

Quid tenendum?

DESCENDUM. *Talem actionem non fore formaliter offensam Dei.*

DIXI formaliter. Nam materialiter indubie erit offensa Dei, cum offensa ut dictum supra pro materiali importet malitiam actionis, ad-vertentiam ad malum, dissonantiam ad naturam intellectualem, quæ omnia supponuntur in tali actione.

PROBATUR 1. Quia Actio illa & esset formaliter offensa Dei, ut supponitur; & non esset; quia si esset formaliter offensa Dei, falsificaretur hæc universalis, quæ falsificari non potest, scilicet, *nihil, vel nullum est volitum, nisi cognitum*, quod ipsum probatur. quia si illa actio esset formaliter offensa Dei, verificaretur illius contradictoria particularis, aliquid est volitum non cognitum; non esset enim cognita offensa Dei, quomodo enim cognosceretur offensa Dei sine Deo, qui supponitur incognitus; & tamen esset volita offensa Dei, quia illa actio esset formaliter offensa Dei, quæ non potest esse sine volitione.

PROBATUR 2. Pone per impossibile, nullum esse Deum, actiones malæ non essent offensæ illius; quomodo enim esset offensa Dei si non esset Deus: sicut non est occisio Petri quando non est Petrus. Ergo etiam in casu, quo non representatur Deus, nulla erit formalis offensa Dei; sicut enim suppositio illa aufert Deum, facitque ne illa actio re ipsa sit offensa Dei; ita & defectus notitiæ Dei, faciet, ne illa actio sit formaliter offensa Dei: quia in ordine ad agendum moraliter ita se habet defectus ortus ex notitia, quali in objecto esset defectus; unde æquale est nescire hanc esse alienam in ordine ad committendum formale adulterium, atque si revera, non esset aliena.

PROBATUR 3. Restaurando rationes quas sibi opposuit ex Lugone Oviedo, illasque solve conatus est.

1. RATIO. Peccatum lætale tunc datur, quando creatura amatur supra Deum; ad hoc autem non sufficit; quod homo amet aliquid quod de facto Deo displiceat, sed requiritur, quod sciat objectum amatum Deo displicere: non enim subditus plus amat esum carniæ, quam Ecclesiam; quando ignarus præcepti Ecclesiæ, comedit.

RESPONDET Oviedo. Per peccatum lætale postponi Deum creaturæ non expressè; quia hanc comparisonem non facit, sed virtualiter, quia in actu exercito amat id, quod Deo displicet, & quo à Deo avertitur; & quia contemnit legem æternam Dei contentam in rationis dictamine: ignarus autem præcepti humani, non violat illud in alio contentum.

CONTRA est. Quia hæc Ratio & Responsio non plus probat, quam quod illa actio sit materialiter offensa Dei. Tum quia, etiam virtualiter est impossibile præferre Deum creaturæ; si nulla sit notitia Dei: ad eum planè modum, quo non dicitur virtualiter facere adulterium, virtuositate sufficiente ad malitiam adulterii, si nullo modo novit alienam, non facturus fortè si nosset; sicut Atheus non peccaret fortè, si nosset Deum. Tum quia. Nego illà actione creaturam à Deo averti: Nam hic recessus deberet esse per voluntatem, & tamen ei non præluet notitia de Deo: Concedimus autem legem Dei æternam materialiter contineri in rationis dictamine; sed negamus illam contineri formaliter, præcisà notitià de Deo.

2. RATIO. Si peccatum non dicit cognitionem offensæ Dei, & tamen involvit offensam, sequitur posse hominem simul diligere Deum super omnia, & lætaliter peccare: ille enim qui cognoscit dissonantiam homicidii ad naturam intellectualem, & ex alio capite non cognosceret hoc Deo displicere, posset homicidium committere, in quo lætaliter peccaret, & Deum diligeret super omnia, quamvis eo amore non retraheretur ab homicidio, utpote quod Deo displicere ignoraret.

RESPONDETUR Oviedo. Qui diligit Deum super omnia cognoscit esse aliqua Deo opposita, quæ Deo displicent, supra quæ Deum diligit. Ergo cognoscit ea, quæ naturæ rationali opponitur, opponi Deo.

CONTRA est. Tum quia. Solemus nos amare amicum præ reliquis nostris familiaribus, nec tamen scimus quid illi displiceat, cur idem in præsentia non poterit dici, ex persuasione v. g. quod hoc malum quidem sit, sed non displiceat Deo, ut si putet aliquis nihil displicere Deo, nisi personam ejus concernat. Tum quia. Quamvis amor Dei radicaliter porrigat se ad intin-

(C)

dam

dam notitiam de oppositis Deo; non tamen hoc formaliter facit: Cur ergo antequam intimetur notitia de oppositis Deo, non poterit contingere; ut fiat actio ceteroqui dissona naturæ intellectuali. Tum quia. In nostris notitiis de Deo pedetentim procedimus: cur ergo non poterit nosci excellentia divina in creando manifestata, non attingendo sanctitatem illius detestativam peccati.

3. **RATIO.** Quæ sic proponi potest. Peccatum vel constituitur formaliter formalitate offensæ divinæ, vel non constituitur: Si primum, contra erunt adlata de mortalitate objectiva, in quibus consentit ipse Oviedo. Si autem non constituitur; ergo poterit esse peccatum sine formalitate offensæ divinæ, quia omne ens potest esse, quoties habet sua constitutiva. Rursus quamvis notitia, quod peccatum sit dissonum naturæ intellectuali, & quod sit offensæ Dei, sint notitiæ interdum identificatæ realiter, nihilominus sunt etiam separabiles: ad eum modum, quo in definitione hominis, utpote simplici qualitate, identificatur notitia animalis & rationalis; separantur tamen, si animal in Majori ponatur, & rationale in Minori. Ergo & appetentiæ illas notitias sequentes erunt separabiles, adeoque poterit esse peccatum dissonum & non appetitum cum formalitate offensæ divinæ.

RESPONDET Oviedo. Malitiam formalem constitui per oppositionem ad naturam rationalem, postquam verò jam est constitutum id, cum quo immediatè opponitur, est Actus divinæ displicentiæ; in quo, quasi activa consistit offensio.

CONTRA est. Tum quia. Licet ordinariè adveniat ratio offensæ Dei, non est tamen ratio cur advenire semper debeat: Tum quia. Si advenit formalitas offensæ, ergo totum constitutum peccati ante adventum offensæ haberi poterit, & si pro statu intentionali secundum notitiam illa duo separari possint, separari etiam poterunt pro statu intentionali secundum appetentiam. Tum quia potest esse displicentia fundata in dissonantia objecti, & non fundata in taxatione per dignitatem divinam offensam. Addo, posse tunc haberi actum displicentiæ divinæ in malitia actus præcisè, sed quæritur quo jure detestabitur illud Deus tanquam oppositum suæ dignitati, si tunc non putatur offendi illius dignitas.

OBJICITUR I. ex hac sententia sequitur, plurima homicidia, & alia mortalia esse venialia, quia fiunt cum ignorantia, aut saltem inadvertentia actuali ad Deum, & ejus legem: Sequitur item, quod ratio offensæ formalis & inobedientiæ divinæ, non sint circumstantiæ transcendentales in omni peccato mortali; cum in multis non reperirentur. Item debere explicari in Confessione, & debere interrogari

pœnitentem: an advertit ad offensam divinam, quod est contra omnium fidelium praxim.

RESPONDETUR. Peccatum illud non fore veniale philosophicum, si fiat cum advertentia, quod graviter dissonet naturæ intellectuali, eritq; mortale philosophicum, hoc est grave, sed non mortale Theologicum, h. e. auterens vitam gratiæ. Neque imaginandum est frequentem esse casum, ut aliquis Christianus advertat ad malitiam peccati; & simul non advertat ad offensam Dei: quia talis est natura specierum, ut una excitet aliam conjunctam sibi, ut scilicet omnino, cogitationum fluxu, in quibus omnibus experientiâ docemur conjunctas species ordinariè movere se simul. Cæterum in casu rarissimo si representaretur malitia peccati, & non representaretur advertentiâ ad actum humanum sufficienti, offensæ Dei, non contraheretur formalitas malitiæ Theologicæ propter universale principium, quia defectus advertentiæ destruit mortalitatem peccati; Ergo & destruit mortalitatem Theologicam. Unde ulterius ratio offensæ & ratio inobedientiæ, sunt rationes transcendentales non quidem peccati ut sic, sed peccati Theologici. Neque erit necesse vel interrogare, vel confiteri formalitatem offensæ; quia propter connexionem specierum illa semper relucet: & quamvis interdum actum reflexionis fundare non possit, tamen ex alio principio; nempe ex connexionem specierum: censeri debeat adfuisse.

OBJICITUR 2. Deus potest rationem petere de malis nostris operibus, & de objectis, quæ illi displicent; quia hæc ipse prohibuit, estque noster Dominus, cujus est rationem petere a servo, præcipuè, cum Deus sanctas cogitationes frequentissimè immittat.

RESPONDETUR. Concedo, quod Deus possit rationem petere etiam de talibus peccatis: sed tanquam de Philosophicis, non Theologicis, & quamvis illa prohibuerit ex objecto, quo ad rem; si tamen peccans non habeat sibi objectum illud representatum, respondere poterit evacuativum illud justæ offensæ, nescio quod prohibueris. Et licet frequenter immittat sanctas cogitationes, Conclusio procedit ex suppositione negatæ hujus cogitationis; quod hoc dissonū naturæ intellectuali, sit offensæ Dei.

Sed dicendusne erit talis amittere gratiam Dei? Cum amittere gratiam Dei, sit non nisi ex offensæ Dei, sub hac formalitate non amitteret gratiam Dei, sicut nec amittitur per peccatum ex objecto mortale, ex subjecto veniale. Censeri que potest naturam præsentis gratiæ, secundum quod nobis ex doctrina Patrum innotescit compati secum mortale philosophicum.

Non videtur tamen implicare gratia ejus conditionis & naturæ, quæ etiâ peccatis Philosophicis expellatur, non quidem sub formalitate gratiæ; quia hæc non amittitur, nisi apud offensum

supponitur autem peccatum philosophicum non esse offensā. Sed amitteretur sub formalitate pulchritudinis & ornamenti, quod secum turpitudinem gravem non posset pati.

INSTABIS. Cum Deus sit auctor naturæ, adhuc in illo casu esset vindex culparum illarum, tenereturque homo pro illis satisfacere: ubi autem est satisfaciendi obligatio; est persona offensā.

RESPONDETUR. Esset tunc Deus vindex illarum culparum, sed nonnisi dissonantium naturæ intellectuali, sed non tanquam suarum formalium offensarum. Satisfactio autem illi debita cum non foret satisfactio ratione honoris læti, sed sub formalitate alia, hoc est, actionis dissonæ, fit ut non sit supponenda persona offensā. In humanis etiam Judices vindicant scelera, neque tamen omnia scelera sunt offensā illorum.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur reliquæ Objectiones.

OBJICIUNTUR 3. *Paritates aliqua.*

1. PARITAS est. Si quis committeretur alienæ non putans alienam, formaliter illi posset dici offensus maritus. Ergo & in præsentem dicendum.

RESPONDETUR. Cum non proportionentur offensæ creatæ dictaminibus conscientialibus, potest aliquis alteri offendi ratione solum materialis delicti. Divinæ autem offensæ proportionantur nonnisi dictaminibus conscientialibus rigoroſeque deberet dici ille maritus inivitus, & displicens sibi in illa actione, non autem formaliter offensus; quia iste dicitur formaliter offendi, contra quem non datur exceptio, quæ est, Nescivi.

2. PARITAS. Ut actus bonus sit meritorius de condigno vitæ æternæ, non requiritur expressa relatio in Deum, sed sufficit virtualis, inclusa in tendentia ad objectum honestum: Ergo ut actus malus sit offensivus, non requiritur expressa notitia Dei v.g. offensi.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Quia nullum est prædicatum meriti formaliter quod exigit relationem ad Deum; meritum enim formaliter, est actio supernaturalis Deo placens, habens, ut alii volunt, pactum præmi. nullum autem horum prædicatorum exigit relationem ad Deum. Offensa autem formaliter habet prædicatum exigens oppositionem ad dignitatem Dei, cum non formaliter peccatum solâ malitiâ actionis: hanc enim habet etiam peccatum philosophicum. Sed requirit ut sit actio iuste aggravata à dignitate divina læsa; non potest autem iuste aggravari, si adferri possit evacuativum offensæ, Nescivi.

3. PARITAS est. Non potest existere ani-

mal sine rationali sibi identificato realiter. Ergo nec malitia gravis sine offensā Dei, quia etiam hæc sibi identificantur realiter.

RESPONDETUR. Animal potest existere simile rationali, licet non hoc ipsum. Ita similis actio mala, potest existere sine offensā Dei, licet non hæc ipsa, quæ est offensā Dei.

4. PARITAS. Non potest à parte rei existere animal solum sine differentia rationalis, vel irrationalis; Ergo neque potest existere malitia gravis sine offensā Dei.

RESPONDETUR. Cur non deberet addi, quod non posset existere sine formalitate vel peccati philosophici vel Theologici, sicut animalis est duplex differentia rationale & irrationale. Directè ad argumentum dicitur, quod existentia physica attendat ad identitatem realem; hinc quia animal est idem realiter, vel cum rationali, vel cum irrationali, non potest existere physice sine utroque. Quia autem status intentionalis, qui dividitur in intentionalem per rationem, & in intentionalem per volitionem, non atrendit ad identitatem realem, bene poterit haberi existentia intentionalis per intellectionem. intelligendo scilicet esse hoc dissonum naturæ intellectuali, & non intelligendo esse hoc contra dignitatem Dei, fit ut haberi possit etiam sequens existentia intentionalis per voluntatem, quæ scilicet velit aliquid dissonum naturæ intellectuali, non volendo derogare dignitati divinæ.

5. PARITAS. Ut quis incurrat pœnam inferni; non est necesse advertere, quod sit offensā Dei.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia ad meritum pœnæ non est necesse, pœnam esse quid volitum; jam autem offensā debet esse, si sit formalis, quid volitum.

OBJICIUNTUR 4. Homo quia rationalis est, debet non operari contra dictamen rationis; Ergo eo ipso quod operetur contra illud, peccat.

RESPONDETUR. Peccare philosophicè, sed non Theologicè, adeoque sine offensā Dei. Unde etiam consequenter dicitur, etiam veniale venialitate Theologicâ debet esse per respectum ad Deum.

OBJICIUNTUR 5. Ex vi harum responsionum, sequitur, injustitiam, & alia vitia ex suo proprio objecto non esse lætalia, sed tantum ratione circumstantiæ adjunctæ, videlicet quia Deo displicent; displicentia autem Dei, non pertinet ad injustitiam factam, v.g. homini.

RESPONDETUR. Dari peccata ex objecto lætalia, lætaliitate gravis dissonantiæ ad naturam intellectualem, licet non lætaliitate Theologica; quæ ipsa lætaliitas Theologica non solum addit imputabilitatem in ordine ad punitionem à Deo infligendam, sed addit taxabilitatem per honorem divinum ex præcognitione læsum.

INSTABIS I. Adulterium v. g. antecedenter ad prohibitionem divinam jam est malum; ideo enim prohibetur; quia est malum. Ergo ante prohibitionem displicet Deo: Ergo illud committens displicet Deo.

RESPONDETUR. Committens tale adulterium sine advertentia ad offensam Dei displicet Deo displicentiā taxabili turpitudine obiecti, quamvis non displicentiā taxabili dignitate offensi. Quæ duo sunt distincta; nam servo displicet facies Heri maculata, displicebitq; multo magis, si servo præmonente nolit illam lavare; neque tamen per hoc offenditur servus; offenditur autem Rex, si Regem præmonentem, ut faciem lavet aulicus, nollit audire.

INSTABIS 2. Ergo si aliquis committat mendacium jocosum, advertens illud prohibitum à Deo, magis peccaret, quam committens homicidium sine advertentia ad offensam Dei.

RESPONDERI solet I. Concedendo Totum. Hæc Responsio

NON SATISFACIT. Quia ex una parte illud veniale in ratione malitiæ, minus est præ homicidio: importat enim minorem dissonantiam; ex altera parte non habet rationem offensæ veræ & propriæ, consequenter non habet quo superet malitiam homicidii. Quod autem sit offensæ improprie, id quidem fundat superioritatem aliquam in ratione ordinis, importat enim oppositionem ad divinam, quam oppositionem, & ordinem, non dicit homicidium prædictum; tamen hic ordo præcisè non fundat absolutam & simpliciter majoritatem; quia veniale ex objecto, nunquam est aptum, ut sit offensæ gravis, quam aptitudinem dicit homicidium. Hinc taxando gravitatem ex linea & prædicamento offensæ, ipsa aptitudo homicidii, ut sit offensæ Dei, attollit gravitatem ejusdem. Et sicut absolute substantia est dignior accidente, quamvis accidens supernaturale superet ratione ordinis substantiam; ita & in præfenti idem proportionatè dicendum. Hinc

RESPONDETUR 2. Esse illam culpam majorem quoad aliquid, sed non majorem simpliciter. majorem quidem quia non committitur sine respectu ad Deum, Minorem autem, quia turpitudinem & malitiam tantam in se non habet, minor enim est malitia ob jocum, difformiter menti loqui, quam ex malitia eripere vitam.

OBJICIT Aldrete 6. Ponamus in aliquo conditionatam volitionem graviter malam, licet elicita sine advertentia ad offensam Dei, hanc v. g. Vellem annihilare Angelum, illud peccatum esset offensæ Dei & dissolutivum amicitiae divinæ. Quod ipsum probatur, quia illud peccatum mereretur annihilationem; si enim homicidium meretur penam mortis, etiam voluntas annihilandi merebitur annihilationem, si merebitur annihilationem meretur dis-

solutionem amicitiae divinæ: si enim mortale non merens annihilationem, est dissolutivum amicitiae divinæ, multo magis peccatum meritivum annihilationis erit dissolutivum istius amicitiae.

RESPONDETUR I. Etiam mortale mereri annihilationem, aliàs si Angelus offerret se ad annihilationem pro abolendo originali unius infantis, annihilareturque, posset pro illo abundè satisfacere; siquidem illa annihilatio est major præ originali. hæc Responsio.

NON SATISFACIT. Quia quidquid sit de hoc; an mortale annihilationem mereatur, de quo innuetur, ubi de pœna peccati. Ratio tamen adlata non convincit, nam æqualitas satisfactionis non est pensanda ex hoc, an possit aliquis penam pro offensâ debitam diluere, sed an possit offensam diluere; honorem ablatum offenso restituendo, commensurandoq; dignitatem personæ influentis in opera oblata dignitati offensi; quæ duo sunt distincta, appellarique hoc secundum solet, compensabilitas offensæ.

RESPONDETUR 2. Imaginabilem esse casum, quo voluntas annihilationis Angeli, non esset digna annihilatione, casu scilicet, quod esset ita præstans volens annihilare, ut respectu illius annihilationis, Angelus haberet se, atq; formica v. g. respectu nostri; videtur autem, quod si aliquis ex odio formicæ, sine advertentia ad offensam Dei veller illam annihilare, videtur inquam, quod non esset dignus annihilatione; majus enim esset damnum & major pœna, annihilatio excellentioris. Casu tamen quo daretur voluntas annihilationis parisi vel majoris creaturæ præ ea, quæ veller annihilare, & quidem sine advertentia ad offensam; illa volitio non esset dissolutiva amicitiae divinæ, licet concedatur quod mereretur annihilationem. Paritas allata, quidquid sit de Antecedente, non tenet: quia pœna annihilationis sequi potest dissonantiam ad naturam intellectualem: Jam autem dissolutio amicitiae sequitur rationem offensæ, quæ non potest esse nisi volita, adeoque cum præcognitione.

ADDO. Si comparantur inter se annihilatio & gratiæ abolitio, prior illa minor erit pœna, quia minoris boni ex ordine suo privativa: Unde rationabiliter dicimus, vellem potius annihilari, quam perdere gratiam divinam, quod rationabiliter dicere non possemus, si annihilatio esset majus malum præ amissione gratiæ. Unde amissio gratiæ fieret tunc ex accidenti, scil. quia deesset subjectum illius, utpotè annihilatum, qualis ablatio gratiæ sequeretur etiam, si Deus in recognitionem sui domini aliquem annihilaret. Quando verò objicitur Scriptura, quod non meminerit hujus advertentiae, citi potest, quod meminerit implicitè; sicut & advertentiae quæ est dissonantiæ ad naturam intellectualem, implicitè meminit.

DIFFI.

DIFFICULTAS III.

An sit possibilis suppositio, in qua absque advertentia ad Dei offensam commissum peccatum, sit mortale?

Affirmant aliqui Recentiores. Procedit autem Difficultas, de mortalitate Theologica dissolutiva amicitiae divinae. Formatur sic casus. Supponamus quod aliquis sit persuasus peccatum homicidii esse prohibitura à Deo, & non adulterii, sed quod hoc secundum, neque placeat, neque displiceat Deo, licet sit contra rectam rationem: sit idem persuasus, quod sit æqualis malitiae, peccare contra prohibitionem Dei, & peccare contra rectam rationem, committatque adulterium: in tali casu erit adulterium sine advertentia ad offensam divinam commissum, & tamen erit mortale.

DICENDUM est. In tali casu peccatum illud non fore mortale mortalitate Theologica.

DIXI. Mortalitate Theologica, quia habet mortalitatem philosophicam, stantem in gravitate dissonantiae ad naturam intellectualem, & stantem in sufficienti ad expellendam gratiae qualitatem, si quæ ordinis naturalis daretur.

PROBATUR I. Conclusio. Suppono; etiam per oppositos, rationem malitiae & rationem offensae esse formalitates distinctas: Nam & conceptibus distinguuntur, & non raro re. Hoc posito; sic arguitur. Ita constitutus, vel putat illud adulterium in ratione malitiae non nisi esse æquale illi malitiae inclusæ in ratione offensae, vel etiam esse æquale in ratione offensae. Non primum, quia præcisâ malitiâ peccati, non est sufficiens ad rationem mortalis, aliàs ubicunq; reperiretur, illic jam esset mortale. Non etiam potest dici secundum; quia & fieret illud peccatum sine advertentia ad offensam Dei, ut supponitur, & non fieret sine advertentia; quia velle hoc facere quod est æquale & commensuratum offensæ divinæ, est velle facere cum advertentia ad offensam divinam: quomodo enim peccans ad illam non advertit, si comparationem ad illam facit suæ actionis, & quomodo illam non vult saltem interpretativè, & indirectè, si positâ advertentiâ ad æqualitatem illius malitiae cum offensâ, adhuc illam malitiam vult.

PROBATUR 2. Tum quia. Nullus est possibilis casus secundum communia principia, in quo sit voluntarium sine advertentia: sed si daretur casus prædictus, esset voluntarium sine advertentia: quod ipsum probatur; esset enim ratio mortalis seu offensæ sine advertentia ad offensam, ut conceditur. Tum quia. peccatum illud sine advertentia prædicta factum, vel erit mortale hoc sensu non nisi, quia auferet gratiam, vel hoc sensu, quia erit adhuc offensâ Dei, aut aliquo alio sensu. Non primo sensu; quia in penam non potest auferri gratia, nisi propter

offensam; supponitur autem illud peccatum non fore offensâ: non etiam secundo sensu; quia si illud peccatum esset sine advertentia ad offensam Dei, & tamen esset offensâ, esset sine advertentia ad seipsum. Tum quia. Ex communi doctrina, ad mortale sufficit virtuale, & indirectum voluntarium: ex quo sic arguitur, committens tale mortale, & illud faceret sine advertentia ad offensam divinam, ut supponitur, & non faceret, quia qui accedit ad alienam quamvis non sub formalitate alienæ, committit adulterium, modò noverit illam esse alienam, sufficitque ad hoc indirectum, & interpretativum voluntarium, quod quia in præsentia reperitur verè adhuc erit advertentia ad offensam. Et sic ille, qui peccatum veniale committit putans illud esse æquale mortali, committit mortale, idque cum sufficienti advertentiâ; ita putans hoc philosophicum peccatum æquale offensæ divinæ, committet illud cum sufficienti advertentia ad offensam divinam.

PROBATUR 3. Qui non discernit, an hoc sit mortale, an veniale; habet tamen voluntatem faciendi, quamvis esset mortale, committit mortale cum sufficienti advertentiâ ad mortalitatem. Ergo & qui non discernit, quod peccatum philosophicum sit offensâ Dei, advertit tamen esse æquale offensæ divinæ, habet sufficientem advertentiam ad offensam divinam.

OBJICITUR 1. Peccatum commissum æquale peccato alicui mortali, non potest esse nisi mortale, ut etiam nos assumpsimus, sed adulterium in dicto casu esset æquale peccato homicidii: Ergo esset mortale.

RESPONDETUR ex dictis intercessurum illic indirectum & interpretativum voluntarium offensæ divinæ, adeoque fore cum præluentia advertentiæ, quod tamen negat arguens; probant autem argumenta nostra. Rursus, quia argumentum supponit possibilem casum prædictum, antequam ipsum argumentum formetur, neganda est possibilitas casus prædicti propter implicantias allatas.

OBJICITUR 2. Non implicat esse volitionem sine cognitione: Ergo & mortale illud poterit esse sine advertentia.

RESPONDETUR. Saltem implicat, ut sit quid volitum peccaminosâ volitione, & tamen non præcognitum: Deus enim supplens defectum necessariæ cognitionis ad peccatum, hoc ipso esset causa specialis ad peccandum. Addo, quando dicitur quod possit esse volitio sine cognitione, hoc ita defenditur; quia scilicet determinat Deus, ad actum volitionis ponendum, non est autem imaginabile, quod Deus determinet ad habendum actum adulterii æquivalentem in ratione offensæ peccato Theologico. vel si se creatura determinet ad actum adulterii, ut determinet Deus ad æquivalentem offensæ, cum ille non advertat ad offensam.

OBJICITUR 3. Qui vult summam argenti æquivalentem auro, non hoc ipso vult aurum; Ergo & qui vult actum æquivalentem offensæ, non hoc ipso vult offensam.

RESPONDETUR. In auro duo reperiri. In primis valorem, & ita qui vult summam argenti æquivalentem valori auri, hoc ipso vult valorem auri: Deinde in auro reperitur talis conditio metalli, & tunc qui vult valorem non nisi auri, non hoc ipso vult tale metallum: non enim illius intentio ultimo terminatur ad rationem metalli. Jam autem malitia illius peccati indifferens, ut putetur, vel non putetur esse æqualis offensæ divinæ, ultimo terminat intentionem, saltem per interpretativum voluntarium, terminat inquam, intentionem ad offensam divinam, cui vult ponere æquale peccatum, si terminat intentionem ad offensam divinam, quomodo non habet advertentiam ad offensam Dei.

QUÆSTIO IV.

De Peccato ut sic in quantum est contra Legem.

SUPPONIMUS omnes, quod aliqua independentes ab eo, quod prohibeantur sint mala, prohibentur tamen, quale est homicidium; & alia sunt quæ de se non sunt mala, prohibentur tamen, & evadunt mala. *In presenti hæc tantum difficultas examinabitur, An Lex seu prohibitio faciat, ut si contraveniatur ipsi, peccetur contra virtutem, quam intendit Lex, vel imperans.* v.g. prohibet Lex comedere carnes feria quartâ: idque intentione pietatis in patriam bellis afflictam, eritne violatio illius Legis peccatum contra pietatem. Affirmat id, vel potius supponit communior sententia, Negat Arriaga d. 41. n. 35. Expendenda sunt Argumenta utriusque partis.

Argumenta negativa.

1. ARGUMENTUM Arriaga est. Malitia quæ reperitur in haustu vini ebrietatem causantis non reperitur in haustu temperato: neque enim ille ut ebrietas privet usu rationis. Hinc qui contra mandatum superioris temperatè biberet non committeret ebrietatem; Ergo non est eadem malitia in utroque casu.

RESPONDETUR. Virtutem abstinentiæ continere in se plures actus; continet simplicem non usum v.g. vini, moderatum &c. Indubie enim virtus unaquæque potest specie etiam distinctos actus elicere. Casu ergo quo lex imperet, ne sit usus etiam temperatus vini, non ideo prohibet quasi in usu temperato eluceat malitia ebrietatis, sed quia potest disponere ad ebrietatem, vel quia abstinere ab omni vino, dicit honestatem referibilem ad eandem temperantiam, assequiturque tunc lex intentionem de prosequenda honestate, quæ est inclusa in eo,

quod est fugere dispositiones etiam ad ebrietatem, habetque tunc lex suum intentum.

2. ARGUMENTUM ejusdem. Ex opposita sententia sequi, quod comedere carnes die Veneris, non sit actus intemperantiæ sed irreligiosis: quia intentio Ecclesiæ fuit, colere hoc junio passionem Christi.

RESPONDETUR. Actum illum comestio- nis esse actum intemperantiæ; habuit autem Ecclesia pro motivo colere passionem Christi, non utcunque sed per cultum, qui fit etiam per abstinentiam; hinc peccabitur tunc contra abstinentiam.

INSTAT 1. Communis doctrina non attendit ad hæc motiva sed ad actum.

RESPONDETUR. Immediatè quidem non attendere, ultimo tamen resolutoriè attendit, considerando, cujusnam virtutis actu colit velic v.g. Passionem Christi.

INSTAT 2. Pone prohibere Ecclesiam potum vini, ne quis se inebriet, si quis se inebriaret, sine ulla prohibitione longè aliter peccaret, quàm qui cum ea prohibitione faceret haustum calicis salubrem: Ergo lex etiam si attendat ad honestatem virtutis, non tamen constituit rem præceptam in ea virtute.

RESPONDETUR. Concedo quod si quis se inebriaret, sine ulla prohibitione Ecclesiæ, minùs peccaret quam se inebrians post prohibitionem Ecclesiæ, quia ipsa prohibitio Ecclesiæ adfert titulum obligativum, ne inebrieris. Concedo quod minùs peccaret, qui contra prohibitionem faceret haustum salubrem, quia exemptione Legis minùs prohibetur haustus salubris, quàm ebrietas, tamen etiam ita bibens secundum dicta, peccaret contra sobrietatem. Nego itaque Consequentiam.

INSTAT 3. idem. Si Lex aliqua prohiberet sub mortali in religiosa domo, aspectum per fenestras ex motivo castitatis, &c. prospiciat aliquis, sciens se neminem visurum per fenestram, Nunquidne peccabit contra virtutem castitatis?

RESPONDETUR. Directum præceptum superioris de non aspiciendo per fenestram, attendit ad circumstantiam periculi oriundi ex aspectu variorum, non autem ad prohibitionem simpliciter aspectus ex fenestra etiam justificabilem aliquâ rationabili causâ. Hinc jam aspiciens in circumstantia, in qua novit certò v.g. per revelationem, non esse illic quemquam, non facit contra illud præceptum, adeoque non peccat contra castitatem: non enim præceptum ad eam servandam voluit prohibere etiam securum aspectum. Si autem supponatur esse prohibitus aspectus ex quacunque etiam rationabili causâ, tunc præceptum illud vel non tenebit, utpotè irrationabiliter datum; vel certe cum non intendat honestatem castitatis, sed quamcunque honestatem, aspiciere non erit contra castitatem, sed contra virtutem mor-

mortificationis. Qui tamen veller tueri, quod etiam tunc peccaretur contra Castitatem, posset hanc inire viam, quod virtus castitatis perfecta intendat recedere quam securissimè à periculo aspectus, quod periculum incurritur ex habitu aspiciendi.

INSTAT 4. Si Pontifex posset mihi imperare actus internos, & ex motivo honestatis, quæ reperitur in actu fidei, mandaret mihi, ut hic & nunc exerceam actum fidei supernaturalis; omitteram illum, quia volo dormire, non essem tamen continuò Hæreticus: Ergo Lex habens pro motivo honestatem reperibilem in aliqua virtute, dum præcipit aliquam materiam novam, non ponit eam in ea virtute.

RESPONDETUR. Duplices esse actus fidei, quosdam positivos, ut ita dicam, hoc est, credendi, alios negativos, hoc est, non discernendi: Suius negativis contraveniatur, amittetur fides, sed non iis prioribus. Porro intentum Legislatoris est frequentatio actuum non qualiscunque, sed quando nulla rationabilis causa subest quin ponantur: & quia subest tunc rationabilis causa, nullo modo tunc frangetur præceptum.

III. ARGUMENTUM est. In honestas quæ reperitur ex naturâ rei in actibus vitiosis, nullo modo reperitur in actionibus, quæ liberè prohibentur ab hominibus: extrinseca enim prohibitio non potest dare contrarietatem cum quacunque virtute.

RESPONDETUR. Verum esse id de materiis nullo modo revocabilibus.

Accedamus ad Argumenta Partis oppositæ.

RATIO I. in oppositum est. Omnis Lex seu præceptum positivum idem facit in sua materia, quod facit præceptum naturale, sed naturale ponit materiam in ea virtute, quam intendit: Ergo etiam illam ponet, præceptum positivum.

RESPONDETUR. Etiam præceptum naturale, non ponit illam materiam in eâ virtute quam intendit sed supponit, quæ suppositio non habetur, si quis de novo velit actum extrahere ad aliquam speciem virtutis. Deinde quia non ideo est talis speciei objectum, quia prohibetur, sed ideo in tali specie prohibetur, quia est in tali specie; hinc fit ut concordent inter se semper quoad speciem virtutis, imperium & materia præcepta. Jam autem cum non sit hujus rationis præceptum de quo hic, poterit bene discordare, quoad speciem virtutis tale præceptum & materia.

2. RATIO est. Peccata debent esse in specie aliqua infima, quæ contra tale præceptum committuntur: sed non erunt inobedientia specialis: quia hæc ratio est communis omnibus peccatis. Ergo erunt contra virtutem aliquam aliam, non poterit autem esse alia, quam intentam à Legislatore.

RESPONDETUR. Quod tale peccatum sit

in specie inobedientiæ, dependenter tamen ab objectis materialibus conferentibus ad diversitatem: ad eum modum quo sub genere Luxuriæ, fornicatio, sodomia &c. habent diversitatem, & tamen non licet inferre, ea peccata non esse intra speciale luxuriam. Consequenter non sufficeret dicere in Confessione, fui inobediens, sed etiam esset necesse dicere in quâ materia: sicut non sufficit dicere, fui luxuriosus, sed est necesse addere in quâ materia.

3. RATIO. Si non extrahitur Lege quæpiam materia ad eam virtutem, quam intendit Legislator, sed habebit solum specificationem petibilem ab inobedientia. Ergo quodlibet peccatum contra Legem naturæ, duplicem habebit malitiam, & inobedientiæ, & propriam.

RESPONDETUR. Si Legislator habeat intentionem magis obligandi, duplex erit malitia, sed si solum habeat intentionem declarandæ obligationis naturalis; qualiter censendus est Deus se habuisse circa Decalogum, non erit tunc duplex peccatum. His pro utraque parte pensatis.

Adferuntur Asserenda.

ASSERO I. Quotiescunque Lex rationabiliter actum certum intendit ponere in aliquâ specie virtutis, toties illum ponit in illa specie, adeoque mandat illum fieri, tanquam pertinentem suo modo ad illam speciem.

Assertum supponit aliquas esse actiones necessario annexas objecto virtutis; ita ut si non ponantur, sed oppositæ illis ponantur, hoc ipso violetur illa virtus independenter ab aliqua Lege. Et ita acceptio alieni notabilis, independenter à lege est contra iustitiam; & aliæ actiones spectant quidem per revocationem ad illam virtutem, possunt tamen alias exerceri sine violatione virtutis: & sic minimi cuiuspiam acceptio est ponibilis sine violatione iustitiæ, est tamen revocabilis ad eandem: quia parva accipiens, & nullo modo considerabilia, quoquo modo se disponit ad accipiendum etiam notabile. Denique aliquæ sunt actiones, quæ nullo modo revocari possunt, ut scalpere caput, non pertinet ad iustitiam, nec præceptum de scalpendo capite ad iustitiam revocari potest. Ut ergo lex sit rationabilis, debet mandare non nisi duas illas priores actiones. Hoc supposito.

RATIO I. Asserti est. Quia si lex rationabiliter intendens in aliquo actu certam speciem virtutis, non poneret illum in eadem specie, vel potius non mandaret illum fieri tanquam pertinentem suo modo ad illam speciem; tunc & intenderet rationabiliter illam speciem ut supponitur, & non intenderet: quia in illo actu nullo modo continetur species illius virtutis.

RATIO 2. à Pari. Siquis rationabiliter, & ex objecti exigentia, dicat hoc esse aurum, erit intentio auri: Ergo etiam si Lex rationabiliter intendat in suo actu hanc speciem virtutis, verè

actus habebit illam speciem: hoc ipso enim non esset rationabilis illa intentio.

RATIO 3. est. Intentio rationabilis illius speciei virtutis est actus illius speciei virtutis: sicut enim circa bona ut sic dantur varii actus, inter quos primarius est intentio, quæ specificatur à bonisita & intentio hujus virtutis erit actus hujus virtutis, ab illaque specificabitur, sicut specificantur & alii actus. Ergo etiam & executio illius intentionis facta ex Lege, erit actus ejusdem virtutis: ab eadem enim bonitate intentio & executio specificari debent.

ASSERO 2. *Si Lex irrationabiliter intendat in aliquo actu certam speciem virtutis, non ponet illum in eadem specie.*

RATIO. Quia hoc ipso irrationabiliter hoc non faceret: potentiaque ponendi in illa specie actum ostenderet rationabiliter intentum fuisse.

ASSERO 3. *Non tantum major superior rationabiliter intendens ponere actum in aliqua specie, ponit eundem; sed etiam minor.*

RATIO. Quia non est major ratio de uno, quam de altero Superiore. Neque valet si dicas. Quod altior Superior virtutes omnes habeat sub sua potestate. Non inquam valet: quia altior habet omnes in sua potestate, quia omnes potest imperare; Ergo & inferior habet illas in potestate, quas potest imperare. Et sicut Legem non tantum Supremus Legislatores format, qui est Deus, sed formant Leges etiam homines, cur ergo præter Supremum Superiorem non erit potestas statuendi legem? Vel si præceptum à lege condistinguis, cur etiam præceptum rationabiliter positum non ponet actum in ea specie, quam rationabiliter intendit: & si vis obligandi cum jurisdictione Legislativâ ponit actum in specie intentâ, cur id non habebit vis minoris superioris præceptiva; imò & vis voti; modò votum sit rationabiliter procedens, ut dixi.

QUÆSTIO V.

De Malitiis in Peccato inclusis.

Queritur in præsentem, quænam malitiæ in peccato includantur. Non procedit autem titulus, An in omni peccato malitia inobedientiæ committatur, non faciendo secundum Legem, quæ unumquodque peccatum prohibet; indubie enim continetur hæc malitia: continetur item malitia ingratiitudinis, cum sit malum extrinsecum Dei benefactoris: continetur violatio amicitia; Deus enim est noster amicus; continetur irreligio; quia sicut colitur Deus bono opere, sic, ut ita dicam, discoloritur peccato. Continetur malitia superbiæ; magna enim est præsumptio adoriri offensâ talem Majestatem, suntque hæc circumstantiæ imbibitæ, tanquam circumstantiæ transcendentes, ut videre est apud Suarez. *Difficultas tantum in hoc est, Cur*

non contrahantur speciales malitiæ prædictæ in quocunque peccato. Communis Ratio hæc solet dari; hisque terminis concipi. Ideo non contrahuntur prædictæ speciales malitiæ in omni peccato: quia virtutes, quibus hæc vitia opponuntur interius consummantur. Laborant Auctores in explicando robore hujus rationis.

EXPLICAT I. Vasquez l. 2. d. 102. n. 17. Dicitque quod sicut in aliquibus virtutibus necessaria est voluntas expressa circa materiam apprehensam sub tali modo, ita & in virtute v. g. obedientiæ, necesse est non tantum velle facere quod præcipitur propter honestatem, quæ est in objecto præcepto; sed etiam velle facere objectum, quia præcipitur: ita etiam in Virtute huic virtuti opposito, aliisque similibus non solum necesse est velle objectum secundum se; sed velle objectum sic modificatum; Ita ut ad inobedientiam non solum requiratur velle ommittere objectum præceptum, sed velle ommittere quia præceptum est. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia non dicit quidquam ad intentum. Transeat quod ad rationem formalem honestatis requiratur intendere illam sub expressa illius ratione formali: Transeat esse necessarium in aliquibus virtutibus voluntarium expressum ad talem etiam modum: quid ex istis omnibus sequitur ad decidendum quod sint virtutes, quæ interius consummantur? quid item hoc interius consummari? Cur aliquæ virtutes quæ non attendunt nisi præcisè ad objectum, non dicuntur interius consummari?

EXPLICAT 2. Suarez Tomo 4. in 3. Partem. Disp. 15. n. 16. Ubi docet ex Cajetano aliqua esse peccata quæ consummantur in corde, ut hereses, & aliquas virtutes, quæ etiam consummantur in corde, ut charitas, alias item virtutes, quæ per se ordinantur ad actum externum, ut iustitia, requiruntque medium in actionibus. Illæ autem, quæ non per se primò ordinantur ad actiones externas, tale medium non requirunt. Quapropter, etiamsi hoc medium non servetur, non ex eo præcisè fit peccatum contra tales actiones, sed quando datur expressum voluntarium, & tales sunt obedientia, gratitudo, misericordia, humilitas, &c. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT I. Concedo aliquas esse virtutes, adeoque vitia opposita quæ per se primò sunt ad aliquid externum, sed inde quomodo sequitur, quod malitia talium contrahatur etiamsi indirectè tantum sit voluntaria.

NON SATISFACIT 2. Quia non assignat signum universale, undenam dignosci debeat, quod aliqua virtus interius consummetur aliquam non? præcipue cum non omnes actus virtutis sint actiones morales, liberæ, adeoque interiores, si primitivam habeant honestatem.

NON SATISFACIT 3. Quia ut urget Oviado. Cur obedientia dicitur interius consum-

mari? Nam si imperat actus externos, exterius consummantur, si imperat internos, adhuc illi respectu imperantium sunt externi; & quocunque modo obedientiam explices, videbis quod illa imperet actus aliarum virtutum. Cur ergo dicetur interius consummari, sed pone etiam illam interius consummari, cur non contra illam per voluntarium indirectum peccari poterit: quia etiam contra fidem, quæ consummatur interius, potest peccari indirecto voluntario v. g. omitendo professionem externam.

EXPLICAT 3. Oviedo. Non omnia peccata habent rationem malitiæ v. g. inobedientiæ, quia materiæ præceptorum in iunctæ, non sunt in iunctæ intuitu obedientiæ, nec omnia habent specialem malitiam ingratitudinis: quia gratitudo obligat sub præcepto ad non habendam vilem æstimationem beneficiorum, & gratam illorum acceptionem; quod præceptum non violatur quocunque peccato, potestque peccator magni habere beneficia Dei, & tamen peccare: non omne etiam peccatum est contra amicitiam Dei; quia præceptum amicitiae est de non odiendo Deo, non omni autem peccato odimus specialiter Deum: nec omne peccatum est superbia, quia superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, non omne autem peccatum hoc habet. Subditque ex his recte explicari, quo modo obedientia, gratitudo, charitas erga Deum interius consummantur, quod intelligendum est quoad obligationem: quia obligatio quæ ex illis per se nascitur, tantum est ad actus internos. *Hec explicatio*

NON SATISFACIT. Tum quia. Quamvis ostendat cur non contrahatur à quocunque peccato malitia specialis dictorum peccatorum nisi intercedat directum voluntarium: non explicat tamen, cur nihilominus in aliis materiis indirectum etiam voluntarium constituat peccatum in illa specie, & ita adulter est, qui novit esse alienam, & utitur illa, nolens illam esse alienam. Tum quia, quæ re adhuc restat cur contra virtutes, quæ quoad actus principales interius consummantur, peccari non possit, nisi violantur intuitu præcepti, quo imponuntur, violari autem possunt aliæ, quæ interius consummantur: Tum quia, non tradit regulam universalem quæ taxet quandonam ad contrahendam specialem malitiam sufficiat etiam indirectum voluntarium, & quando non sufficiat, in quo tamen versatur cardo difficultatis. *Et hoc explicatur.*

PRÆMITTO I. *Esse aliquas malitias, quæ etiam indirecto voluntario posito quoad suas speciales malitias contrahuntur, & ita siue intuitu injuriandi quæ tali, siue non, accipias alienum, verè furtum committis. Si autem violes præceptum intuitu delectabilis, & non quæ præceptum, indirectum illud voluntarium circa præcepti violationem, non faciet malitiam specialem inobedientiæ.*

PRÆMITTO 2. *Tam in peccatis quorum malitia specialis contrahitur voluntario directo, quam in peccatis quorum malitia specialis contrahitur etiam voluntario indirecto, necessario supponitur præcognitio.* Et ita si non noscis esse alienum, non committis peccatum furti, & si nescias prohibendum aliquid, non peccabis inobedientia. Firmantur hæc in illo principio. *Nihil volitum nisi cognitum.*

PRÆMITTO 3. *Duplicia esse vitia, consequenter & duplices virtutes, quædam quidem vitia talia, quæ siue sub formali, siue sub materiali, ut ita dicam, ratione, & attingentia ponantur, idem sequetur, quod primario intendit vetare lex. Et alia sunt vitia, quæ nisi sub formali ratione hæc fiant, non ponetur hoc, quod primario intendit vetare lex, & ita v. g. siue intendas ex ratione formali, quia est alienum, siue non intendas ex formali hac ratione, sed illam non nisi materialiter attingas, alliciarisque rei pulchritudine, vel delectabilitate, si modo noscas illam rem alienam esse, sequitur idem malum, nempe diminutio bonorum proximi irrationabilis, aut usus bonorum alterius invito alio, vel saltem invito communitate vel natura. E contra autem si advertas esse præceptum ut jejunes, tu autem non ex præcisa formali ratione; quia præceptum est, violes jejunium, non sequetur id malum, quod vetat lex: nempe contemptus potestatis & Jurisdictionis, quod malum sequeretur, si violaretur præceptum ex præcisa formali ratione non subdendi sese potestati altiori; nec hoc malum sequitur inobedientiæ ex indirecto voluntario.*

PRÆMITTO 4. *Etiam in istis peccatis quorum malitia completa habetur si indirecto voluntario illa operetur quispiam, adhuc verum est dicere, quod si eadem ex directo voluntario fiant, habebitur magis expressa ratio, & magis formalis, ut ita dicam, illius malitiæ.* Nam indubiè, si quis acciperet alienum ex eo præcise, quia alienum est, haberet expressiorem & formaliorem rationem injuriandi, quamvis ad hoc non attendatur in præfenti, sed attenditur ad malum, quod lex vetare vult in illa actione prohibita, nempe malum minorationis in bonis aliis, idque malitiosè, quod malum sequitur ut dixi, siue id facias ex directo, siue indirecto voluntario, modo tamen voluntariè.

PRÆMITTO 5. *Quod virtutes illæ quæ opponuntur vitiis in quibus malum idem sequitur, si ex indirecto voluntario fiant planè, atque si fierent ex directo voluntario, debeant dici interius consummari, hoc est, ratione præcise intentionis, quæ talis, seu tendentiæ interioris in objectum quæ tale; intentio enim, & tendentia interna unicè requisita potest appellari interius consummatio; Aliæ autem virtutes non interius consummantur, non eo sensu, quod interius non eliciantur, sed quia ad rationem illarum formalem habendam,*

bendam, non est necesse objectum formale illarum virtutum quia non nisi tale, præ oculis internis, menteque haberi. His præmissis

RATIO est. Cur illorum vitiorum speciales malitiæ non contrahantur in omni peccato; quia illæ non repræsentantur. Nullam autem formalitatem potest appetere vel fugere voluntas, nisi ab intellectu propositam, ut dixi Præmissis 2. Quando autem illæ malitiæ repræsentantur, eorum tunc peccatorum malitia voluntario etiam indirecto contrahitur, quando malum quod intendit vetare lex idem consequitur sive præcedat directum sive indirectum voluntarium, ut dictum Præmissis 3. Et quia non idem malum v. g. sequitur, quando contemnitur potestas quæ talis, ut fit in formali inobedientia, ac quando facio contra prohibitionem, attendens præcisè v. g. ad delectabile, fit ut in omni peccato, non sit necesse contrahi malitiam v. g. inobedientiæ, quantumvis in modo tendendi directè vel indirectè; consequentè quæ illam voluntario, sit aliqua diversitas, ut dixi Præmissis 4. Vocantur tamen hæ transcendentes malitiæ, eo quod materialiter loquendo semper in omni peccato reperiantur: quod enim peccatum est quod non sit contra Divinam prohibitionem? Hisque talibus vitiis quorum malitia non contrahitur nisi ex formali tendentia opponuntur virtutes, quæ interius consummantur ratione scilicet interioris intentionis specialiter requiritæ: ut dixi Præmissis 5. Quæ autem dicta sunt de inobedientia, applica aliis malitiis transcendentalibus supra enumeratis.

INFERES inde. In omni peccato contrahi malitiam contra virtutem tuendi & augendi bona spiritualia, sive illa virtus sit Amor sui, sive alia. Quia quamvis non ponas actum intentionis, quo velis ex hac intentione, quæ est diminueri se in bonis spiritualibus, illam actionem, sequitur tamen malum diminutionis. Deinde si est contra sui charitatem, velle auferre sibi vitam, cur non erit malum auferre sibi vitam gra-

tiam? Quod enim dicit Vasq. in homine reperiri dominium bonorum spiritualium, & non vitæ, etiam si verum esset, non haberet intentum Vasquez; quia habetur in homine, dominium v. g. pecuniæ, & tamen illam prodigere est peccatum.

INFERES etiam. Sufficere ad scandalum indirectum voluntarium, quia sive directè, sive indirectè id velis, sequitur malum, quod maxime vetatur, ruinæ alterius, & hancillationem tenet Suar. Valent. Lugo & alii, contra Valq. Sanch. Becanum.

DICES I. Ex hac Doctrina sequitur quod qui consulit homicidium peccet gravius, quam qui occidit: Nam qui consulit, & peccat malitiâ speciali scandali, & malitiâ iniustitiæ, cum occidens non nisi priori malitiâ peccet.

RESPONDET Oviedo. Concedendo sequelam. Sed dici posset, quod malitia consulentis extensivè sit major propter plures speciales malitias in suo peccato reperibiles, sed non intensivè major. Nam ut plurimum externa occisio maiorem malitiam occidentis, quam consulentis indicat; potest enim audere consulere, & non audere occidere ex ipso horrore facti. Cæterum & ipsa externa occisio extitit, derivatæ in se malitiæ ab interno actu, exag-gerat peccatum, quæ malitiâ proximè caret consulens.

INSTABIS. Qui exemplo suo movet alium ad opus virtutis, non exercet actum correctionis fraternæ. Ergo & qui movet ad peccatum exemplo, non peccat peccato scandali.

RESPONDETUR. Negari posse Antecedens, casu quo solum exemplum sit sufficiens, Disparitas etiam est, quia potest actio bona poni sine correctione, ut si ponatur ante meliorem ipso agente; non ergo erit ipsum opus virtutis correctio fraternæ: non potest autem poni, culpabilis ansa ruinæ alterius sine scandalo activo,

hinc movens ad peccatum exemplo, peccabit peccato scandali.